Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

# Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

## Digitale Sammlungen

# Bibliotheca Historico-Philologico-Theologica Classis ...

Brauer, Hermann Brauer, Hermann

Bremen, 1718

urn:nbn:de:gbv:46:1-6110

Visual Library

# BIBLIOTHECA
## *Hiſtorico-Philologico-*
## THEOLOGICA.
### Claſſis *primae*
### FASCICULUS SEXTUS.



---

*FRANCOFURTI & LIPSIAE.*

---

BREMAE.
Typis & impenſis RUDOLPHI HOFFERI
& proſtat apud Joh. Andr. Grimm, Bibl.
Anno. M D CC XVIII.

VIRO

*Summe reverendo atque excellentiſſimo*

# JOH. JACOBO HOTTINGERO,

J. H. F.

Sacrarum literarum apud Tigurinos Profeſſori, atque Canonico

Celeberrimi nominis,

Inſigne TIGURINORUN Theologorum, atque HOTTINGERIANI nominis decus magna cum laude etiamnum ſuſtinenti,

*Sex.*

*Sextum hunc*

*hujus*

# BIBLIOTHECÆ FASCICULUM,

Cum ſumma obſervantiæ teſtificatione dicant atque conſecrant,

Utque hujus

Inſtituti ſucceſſus promovere, atque cum aliis ANEKDOTOIS, quæ poſſidet, tum propriis ingenii, atque eruditionis, quæ in eo prorſus eximia eſt, fœtubus, exornare velit,

MAJOREM IN MODUM AB EO CONTENDUNT

EDITORES.

Con.

## Continentur hoc faſciculo:

I. Campegii VITRINGAE F. *de lucta Jacobi* cum Angelo ad Gen. XXXII. 24 - 32. diſſertatio *Prima*. p. 772.
II. Herm. DEUSINGII diſſertatio, qua oſtenditur Joh. V. 28. agi de *reſurrectione ſpirituali* p. 804.
III. Prodigioſa ſalus Hiskiæ ex Deo, per Eſaiam prænunciata 2. Reg. XX. 5 -- 11. Jes. XXXVIII. 5 -- 8. p. 825.
IV. C. A. H. Reſolutio ægnimatis Apocalyptici cap. XIII. v. 18. pag. 864.
V. HORA TENTATIONIS ſuper Eccleſiam Evangelicam per novos Prophetas. *Liber recenſitus* p. 870.
VI. Joh. Georg. BELLERSHEMI Exercitationes Typico-propheticæ de fatis Chriſti myſticis. *Liber recenſitus* p. 879.
VII. LITERAE Regum, Principum, Statuumque ad Magiſtratum Reip. FRANCOFURTENSIS pro impetrando Reformatis Templo. p. 890.
VIII. ANECDOTA quædam Theologorum Reformatorum de *Irenico Joh.* DURÆI conſilio judicia p. 911.
IX. Nova Theologico - Hiſtorico - literaria p. 933.

CAM.

I.

# Campegii Vitringæ F.

SS. Theol. Doctoris & Profeſſoris Ord. in Academia Friſiaca

de

# LUCTA JACOBI CUM ANGELO

Ad Gen. XXXII. 24 - 32.

## DISSERTATIO THEOLOGICA Prima.

### CAPUT I.

### Proponitur ex Hiſtoria S. Caſus, & textus ſacer illuminatur.

LUcta illa, quam memoro, Jacobi, accurate memoriæ prodita eſt a Moſe in Libro Geneſ. Cap. XXXII. a vſ. 24. ad ejus finem, qui eſt cum vſ. 32. in hanc fere ſummam: Jacobum Patriarcham cum Suis ex Meſopotamia verſus Cananæam ducentem, atque jamjam ob-

viam faciendum Eſavo fratri, cujus ferociam, & memorem propter domeſticas contentiones iram jure formidabat, traductis Jabbokum amnem uxoribus, liberis, familiaque cum impedimentis, ipſum cis torrentem reſtitiſſe nocte illâ, quæ occurſui Fratis proxima erat; ibique ſecretum a ſuis pernoctaſſe: ut a conſpectu cariſſimorum pignorum remotus, graves curas fortius ferre, ac officiis pietatis ſolus ſuuſque ſine impedimento vacare poſſet. Ea autem nocte miram quandam pugnam pugnaſſe Jacobum: *Virum* enim fert Hiſtoria, qui alibi *Angelus*, mox *Deus* appellatur, nec opinum Patriarcham adortum fuiſſe, eumque ad diluculum uſque luctando exercuiſſe: felice tamen eventu a parte Jacobi: ita ut excepto uno tantum graviore ictu, qui femur ei luxabat, omnes inſultus Antagoniſtæ declinans refutansve, poſtremo conſtrinxerit Adverſarium; nec ante dimiſerit, quam felicia ſibi apprecaretur. Hanc jam fuiſſe veram originem nominis *Iſraëlis*, quo inſignitus deinceps fuit Jacobus: Virum enim hunc in memoriam rei fortiter ab ipſo geſtæ, teſſeramque benevolentiæ, nomen *Jacobi* commutaſſe cum eo *Iſraëlis*, quod *Victorem Dei* dicit: addita ratione: quod cum Deo inſtar ducis ſe geſſiſſet, & prævaluiſſet.

II. Cæteras vel circumſtantias vel conſequentia hujus facti declarabunt verba textus, quæ neceſſario deſcribo:

Genes.

24. *Et relictus eſt Jacob ſolus : & luctatus eſt Vir cum ipſo, donec aurora aſcenderet.*
25. *Et vidit ſe non prævalere ei : tetigitque acetabulum femoris ejus : ita recedebat cotyle feminis Jacobi, quando luctabatur cum eo.*
26. *Tum dixit* (Vir) *: dimitte me, nam aſcendit aurora. Cui regesſit* (Jacobus) *: non dimittam te, niſi benedixeris mihi.*
27. *Unde dixit ei,* (Jacobo) *quod eſt nomen tuum? reſpondet :* Jacob.
28. *Tum dixit :* (Vir ille) *non* Jacob *vocabitur amplius nomen tuum, ſed* Iſraël : *nam inſtar Principis te geſſiſti cum Deo : ergo hominibus etiam prævalebis.*
29. *At quæſivit Jacob, dixitque : indica quæſo nomen tuum. verum reſpondit : quo hoc, ut quæras nomen meum? & benedixit ipſi ibi.*
30. *Et appellavit Jacob nomen loci illius* Peniel; *nam* vidi, (inquit) Deum de facie ad faciem, & *erepta eſt anima mea.*
31. *Tum exortus eſt ei ſol, quando prætergreſſus eſt* Penielem; & *ipſe claudicabat ſuper femur ſuum.*
32. *Propterea non comedunt Filii Iſraëlis nervum junctivum, qui* (eſt) *ſuper acetabulum feminis, uſque in hunc diem : quia tetigerat* (Deus) *acetabulum femoris Jacobi ad ligaculum jungens.*

Præterea tangitur hæc res geſta apud Hoſeam Cap. XII. vſ. 4. 5. 6. in hunc modum : *In*

*utero* (matris) *retinuit* (Deus) *fratrem ejus* (Jacobi) *a calcaneo: & in robore ſuo principem ſe geſſit cum Deo.* vſ. 5. *Quin Ducem ſe gerebat cum Angelo, & prævalebat. Flebat & ſupplicabat ei. Bethele inveniebat eum, ibique loquebatur nobiſcum.* v. 6. ויהוה אלהי הצבאת יהוה זכרו, (ut vulgo ex hac lectione vertitur) *Nimirum Jehova, Deus exercituum, Jehova memoriale ejus.* Præter hæc loca caſus hujus in Scripturis expreſſa mentio non fit.

III. א. Principale ſubjectum hujus narrationis memoratur *pugna, certamen*, ſive *lucta* quædam inter duas adverſas partes: *Virum* quendam, qui ex vſ. 28. & 30. patet fuiſſe Deus; ut infra diſputabimus: (*a*) & Jacobum Patriarcham; quem Vir ille adortus eſt. Pugnæ genus *Lucta* fuit, inter quinque Græcorum Ludos celebratum deinceps exercitii genus. Niſum illum & acrem conatum dicit; quo alter alterius corpus ſuæ poteſtati ſubjicere contendebat. Exprimitur proprio verbo, האבק, quod ab אבק, *pulvere* formatum eſt. Athletarum enim eſt, agili manuum pedumque motu, & celeri flexione corporis ac diſcurſitatione, *pulverem ciere.* Imo & id artis habitum fuit, cum poſtmodum athletica tantopere in Hellade celebraretur. Arenam ex induſtria commovebant, tam quo adverſæ parti offunderent caliginem: quam quo glabræ & lævis ejus per unctionem cutis,

(*a*) Cap. II.

tis, ſparſo pulvere ſordidatæ, certior foret prenſatio. Ipſe quoque qui palæſtrico certamine congreſſurus erat, pugil, ſe in coniſterio in anteceſſum pulvere ſpargebat: ut occluſis fuligine poris vigor animalis lentius evaderet. De quibus illi copioſius, qui de athletica ſcripſere. (b) Patet, in palæſtra pulveris multum uſum fuiſſe; unde variæ quoque apud Græcos & Latinos phraſes translatæ obſervantur. Ut adeo commodiore voce *Luctatio* explicari non posſit, quam Hebraica hac האבק.

IV. ב. Hinc *Locus* qui fuerit certaminis, & *Tempus*, ſat accurate circumſcribuntur. Ripa *Jabboki* torrentis Jacobo palæſtra fuit: qui amnis ex montibus Galaad originem ducens haud procul a Philadelphia, terminat regionem Amoritarum a Borea, & aliquantum ab origine ſua limes etiam eſt orientalis Cananææ terræ; partem quoque ejus perluit; uſque quo Jardene excipitur fere ad mare Tiberiadis. Accuratius ſitum torrentis cognoſcendi cupidus adeat docte eum delineantem Cl. Relandum (c) nuper multo rei literariæ detrimento rebus humanis ereptum; ſed victurum inſignibus monumentis ſuis. Verum legenti textum dubium oriri poteſt, ad quam ripam conflictus habitus ſit?



(b) Hieron. Mercur. in Gymnaſt. P. Faber in Agoniſt. & Lucianus de Gymnas.

(c) Geogr. S. Lib. 1. Cap. XLIV.

Dicitur, fateor; *ſurrexiſſe ea nocte Jacobum, ſumptiſque duabus uxoribus, biniſque ſervis, & undecim liberis, trajeciſſe torrentem Jabbok.* vſ. 22. Ex quo textu multi Interpretes, id ſine controverſia ponunt: trans Jabbokum a Meſopotamia luctatum hanc luctam Jacobum. Sed ſequente commate idem accuratius narraturus Hiſtoricus, ait: Jacobum *ſumptos illos tranſpoſuiſſe, & trajicere feciſſe quicquid ſibi erat:* quando ſubjungit vſ. 24. *Sed Jacob ſolus relictus eſt.* Quo videtur omnino innuere; Jacobum, ſuis tranſpoſitis, ſolum ad oppoſitam ripam ſubſtitiſſe, quando lucta mox exercendus erat. Tum id ויעבר, *& trajecit,* pro *initio*, *præparatione*, & *conatu* tranſeundi accipiendum eſt, ut ſæpius fit in Scriptura (*d*). Quod ad *Tempus*, quo cœpit certamen: nox jam tum præcipitaverat. *Nocte* enim ſurrexit, cepitque ſuos & tranſpoſuit, vſ. 22. Poſtea demum cœpit lucta: duravitque *ad diluculum*, vſ. 24. 31.

V, 3. Deſcribitur certaminis *Eventus*, vſ. 25. 28. *Non prævalebat* Jacobo Antagoniſta. *Victor* fuit ergo Jacobus, eo, quod impreſſiones S. Adverſarii retuderit: animum etiam non demittens propter exceptam graviorem plagam, quæ femur ei luxabat: vſ. 25. 31. 32. Accuratius deſcribi non potuit id, quod fe-

(*d*) Exempla V. apud Glaſſium Philol. S. Lib. III. Tract. III. Can. III. clarum, & huic ſimile eſt Luc. XVII. 33.

*femoris luxatio* dicitur. Ad verſuram coxarum duo committuntur oſſa, non planis ſuperficiebus ſe contingentia; ſed invicem inſerta. Coxæ ſuperioris os, *coxendix* vel & *iſchium* jam vocatum (quamvis contra Græci Scriptores ἰσχίον pro inferiore oſſe feminis uſurparint) concavum habet, quod Græci jam κοτύλην; Anatomici latini *pyxidem*, vel *acetabulum* vocant, hic clare כף ירך. *cavum feminis* dicitur: in quod tanquam in naturalem ſedem ſe immittit inferius *os feminis* ſic dictum. Ne vero titubet excepta acetabulo femoris extremitas; nervus eſt validus, ſive *ligamentum*, ut ſuo nomine rem vocem: (diſtinguunt enim ea a *nervis* & *muſculis*) quod implicita oſſa ligat conſtringitque. Id ligamentum jam clare per גיד הנשה indigitatur vſ. 32. Sed mireris Interpretum varietatem de illo הנשה, quod epithethon datur τῷ גיד, *nervo*, ſive *ligacula* vſ. 32. Alii *nervum altum* a נשא exponunt: Alii *nervum oblivionis* a נשה, quod *dimotus* naturalis ſui loci oblitus veluti eſſet. Alii nervum *contortum* vel *dimotum*, a נשה: quem verbi ſignificatum probare conantur ex Jerem. XXIII. 39. ſed dubii ſenſus loco. Alii nervum *marcidum*, *diſſipatum*, *tortum*, a נשה ita LXX. Thargum, Vulgatus, Belgæ noſtri aliique. Sed pace Doctiſſimorum Virorum dictum ſit: textum clariſſime reſpuere omnes illos, quicunque ſint, ſignificatûs; qui vitium aliquod nervi

hujus in τῷ נשה quærunt. Conquirere taſes videntur: ſed fruſtra. α. Enim dicitur: *non comedere Iſraëlitas de nervo* נשה, *qui eſt ſuper acetabulum feminis*: nimirum in memoriam luxationis femoris Jacobi. Atque Judæi non nervo iſto contorto, dimotoque: ſed eo qualicunque abſtinent, & abſtinuere ſemper. β. Additur ratio: quia Angelus *tetigerat acetabulum feminis Jacobi ad nervum naſcheb*. Quiſque videt, illum nervum, qui hic deſcribitur nomine *naſcheb*, jam talem fuiſſe ſecundum ſignificatum hujus vocis, cum luxaretur coxendix. Cum enim tangeretur, nondum loco motus erat. Ergo hoc primo certum tenemus ex ſcopo Hiſtorici: hoc epitheto נשה, *naſcheb*, deſcribi propius *naturam* & *ſitum* hujus nervi: non vitium ejus ſignificari. Id etiam omnino definiendum erat: *quo qualive* גיד, *nervo* abſtinuerint Iſraëlitæ? Quo poſito ſic porro infero: Id נשה, definire vel *nomine proprio* id *ligamentum feminis*, vel *deſcribere*. Diceres Judæos optime noſſe debere, quis nervus per גיד נשה deſignetur: cum illi eo abſtineant hodiedum. Fabulantur quidem de eo multa in Cholin Cap. VII. ubi eum *Hizon* vocant: ſed ipſi de eo inter ſe diſputant, & praxi oſtendunt ſe rem ignorare. poſticam enim animantium partem totam nervis muſculoſiſque partibus omnibus privant: metu ne errent. Cl.

Cle-

Clericus (*e*) laudat Caſtellum, qui nervi qualitatem ac ſignificatum detexerit. Docet ille *Naſan*, Arabibus dicere *nervum*, ſive *tendinem*, *qui per ſemur & crus ad talos fertur.* Sed quid Hiſtoricus per גיד הנשה deſignet, tam clare mihi videor ex textu elicere poſſe: ut nulla auctoritate alia me heic duci patiar. Dicit ergo *ligaculum illud validum & muſculoſum, quod os feminis acetabulo inſertum devincit*: Rationes hæ ſunt: I. Dicitur nervus *naſche* talis eſſe, qui ſit על כף ירך *ſuper acetabulum feminis*: ſed hic verus ſitus, id officium hujus ligaculi: acetabulum enim, condens excipiensque os feminis, complectitur, ligat, devincit. II. Ille nervus intelligitur, quo diſtorto luxam ſolutamque coxendicem habuit Jacobus: verum fieri nequit per rei naturam, ut os feminis ex acetabulo reſolvatur, niſi id ipſum ligamentum, quod inſerta oſſa vincit, laxatum fuerit. Frangi alterutrum os poteſt, comminui: ſed reſolutio coxarum neceſſario reſolutionem hujus ipſius vinculi infert. Sic cognita natura rei ſignificatæ, notione vocis ulterius inquirenda facile ſuperſedemus. Juvat demonſtraſſe; גיד הנשה tum temporis *proprium* nomen fuiſſe *ligamenti coxarum*. Forte vel & ſimul deſcribit eum ab officio: quod cum ſit jungere & ligare coxas, commodisſime vertitur *nervus junctivus*. Videtur



(*e*) Comm. in h. l.

detur & hæc fuiſſe antiqua ſignificatio verbi נשה & ſupereſſe in נשה nomine; quod *conjugem*, matrimonio viro *devinctam* dicit. Sed conjecturam non urgeo. Jam omnia plana. *Tetigit* Angelus, refert Sacer Hiſtoricus, כף ירך, *cavitatem*, ſeu acetabulum *femoris Jacobi*: ideſt, concuſſit, raptavit os feminis ſuperius: quod cum non potuiſſet: niſi vinculum coxarum corripuiſſet, docet id ipſum accuratius vſ. 32. ubi memorat propter illatam Jacobo vim in *nervo* colligante *qui eſt ſuper acetabulum feminis*; eo abſtinere ſacrum habuiſſe Judæos. Inflictum itaque Jacobo vulnus *luxa coxendix* fuit, ut Medici vocant: quamobrem iturus Jacobus *claudicavit*, vſ. 31. quod fieri aliter non potuit: ut vel docere poteſt ille Suetonii locus, (*f*) ubi de Auguſto: *Coxendice, & femore, & crure ſiniſtro non perinde valebat; ut ſæpe inde etiam claudicaret.*

VI. ד Non minus mira ſunt pugnæ hujus finitæ *Conſequentia*; quæ porro à vſ. 26. deſcribuntur. Potisſimum eſt vſ. 26. 27. 28., quod Patriarcha ab Antagoniſta, ulteriore certamine abſtinente, ſpolium quoddam exegerit, *Benedictionem*. Aſſenſus eſt Sacer Athleta; deditque ei teſſeram benevolentiæ in magnifico & illuſtri nomine ישראל, *Iſraël*; quo deinceps *præter* proprium *Jacobi* nomen decorus eſſet. Sic enim intelligendum, quod eſt in textu: *non vocabitur amplius nomen tuum Jacob*; ac

(*f*) In Aug. Cap. 80.

ac ſi dixiſſet : *Non tantum vocabitur* &c. cujus loquendi modi exempla ubique obvia ſunt. (g) De ipſo autem nomine ישראל, lis eſt, quid ſignificet : qua nulla alia inutilior eſſe poteſt, cum ratio etymologica tam diſerte addatur in textu; ſequitur enim; כי שרית עם אלהים quoniam *inſtar principis te geſſiſti cum Deo*, &c. quo docetur; ישראל conflatum eſſe ex שרה, *fortiter, inſtar ducis ſe geſſit*, & אל, *Deus*. Ut adeo nomen *Iſraël*, *Principem*, ſive *Heroicum Antagoniſtam Dei* dicat. Joſephum, qui Ἀνϛισάντα τῷ Θεῷ : Hieronymum, qui ישר אל, *Rectum Dei*; Origenem, qui איש ראה אל, *virum videntem Deum* : formant & exponunt id nomen : contra legem punctandi, & claram Script. S. explicationem facere; docebunt inſpecti Cl. Rivetus, (h) Heideggerus, (i) & paſſim alii.

VII. Sed alia facienda eſt quæſtio de verbis ejusdem hujus vſ. 28. in quibus ratio inditi Jacobo nominis explicatur : quæ vulgo male accepta eſſe puto. Sic Angelus : *non vocabitur amplius nomen tuum Jacob ; ſed Iſraël :* כי שרית עם אלהים ועם אנשים ותוכל, vulgo : *Quia ut princeps te geſſiſti cum Deo & cum Hominibus, & prævaluiſti :* ita quidem, ut ſine diſtinctione continua ſerie decurrat ſententia.

Nec

(g) Jerem. XXIII. 7, Eph. VI. 12. Vide ſis Manaſſe Ben Iſraël Conc. in Gen. Quæſt. LIV.
(h) ad h. l.
(i) Tom. II. Exercit. XVII.

Nec tamen equidem ſic plana & facilis eſt, ſi quid video. *Primo* enim non cum *hominibus* vel *homine* heic res res fuit Jacobo: non cum eo pugnavit, non adverſus eum vicit. Unum ipſe Colluctatorem habuit; qui ſe heic *Deum* vocat; & *Angelus* ab Hoſea dicitur. Rem exploratam non negant Docti Viri; ſed difficiles, quos cum fratre Eſavo, proxime autem cum Labane volverat, & feliciter expediverat caſus, ſimul heic ab Angelo reſpici putant. Sed modeſte dixerim, id quodammodo arceſſitum mihi videri: neque enim res diverſiſſimæ permixtæ ab Angelo cenſeri debent. Tum quoque inverſo ordine rationem nomenclationis elaturus fuiſſe Angelus videtur: tam quo ordinis geſtorum conſtaret ratio, quam quo gradatio à minori ad majus foret luculentior. Verum *Secundum* eſt: quod nomen ישראל, *Iſraël*, nihil dicat de victoria Jacobi adverſus *homines*, Tantum geſſit hoc nomen ratione fortitudinis in lucta cum *Deo*. Iſta itaque: *Et cum hominibus* (ut vulgo) *& prævaluiſti*; excludenda ſunt ſenſu datæ rationis, & novam adeo ſententiam conſtituunt. Perſuaſum itaque habeo Intt. Græcos, & Vulgatum multo rectius loci ſenſum expresſiſſe. LXX. hebraica ſic reddunt: Ὅτι ἐνίσχυσας μετὰ Θεοῦ, καὶ μετὰ ἀνθρώπων δυνατὸς ἔσῃ. *Quia invaluiſti cum Deo, & adverſus homines potens eris.* Nervoſe Vulgatus: *Quoniam ſi contra Deum fortis fuiſti; quanto magis prævalebis contra homines?* Veri-

tas

tas verſionis incurrit in oculos attente ſeriem narrationis expendentis. Perſpectum enim eſt: mentem & rationem hujus facti hanc primam & directam fuiſſe: ut proſpero ſucceſſu tanti certaminis confirmatior eſſet Patriarcha in poſterum diem. Quod itaque facto docuerat: verbis jam etiam exponit Angelus. Tantum diſpiciendum: an verba ferant hunc ſenſum? at optime: ותוכל, quamvis ו præfixum formam habeat *converſivi*: æque in futuro *prævalebis*, quam *prævaluiſti* exponi poteſt: quod pueris notum. Pendet itaque diverſitas expoſitionis à litera ו, quæ hic bis eſt: ante עם *cum*, & תוכל *prævalebis*. Eſt autem præpoſitio hæc fere inſtar omnium: inter plurimos ſignificatus dicit, *ergo*, *igitur*, *quapropter*, *etiam*, *quoque*. Res notior eſt, quam ut exempla adducam. Proſtant in Lexicis; exhibent Glasſius, (*k*) & Cl. Coccejus. (*l*) Senſum ergo habes planisſimum, eundem quem Græcus, & Latinus dant: *Fortis fuiſti cum Deo: ergo hominibus etiam prævalebis.* Verum & aliquid plus firmamenti ad interpretationem fulciendam mihi eſſe perſuadeo. Obſervarunt Doctisſimi Viri ו *comparative* ſumi, pro *ſicut*, *velut*. Sed vidiſſe mihi videor, litteram ו duplicatam in eadem ſententia, hanc habere vim: ut orationem *comparative*, *&* *veluti per gradationem intendat*; & idem dicat, quod

*tanto*,

(k) Philol. S. Lib. IV. Tract. 1.
(l) In Lexico ad lit. ו.

*tanto*, *multo magis*; vel ſi interrogatio ſit, *quanto magis*? Exemplum huic ſimillimum eſt Jer. III. 5. הנה דברתי ותעשה הרעות ותוכל Eſt oratio convictoria ad Judæos: de verbo ad verbum: *Ecce loquor* (alii legunt דברתה, *loqueris*; ſed malim textualem lectionem) & *facis mala*, & *prævales*: Ita noſtri: *Ecce loqueris & facis hæc mala & prævales*, nullo ſenſu. Verſio vera hæc eſt: *loquor ego*: convinco, redarguo, *tu multo magis etiam patras hæc mala*. Ita Proverb. XXIV. 13. 14. *Comede mel, mi Fili; nam bonum eſt: & dulcis eſt favus palato tuo: ſit notitia ſapientiæ eſt animæ tuæ, ſi inveneris eam:* :ויש אחרית ותקותך לא תכרת: *& erit præmium, & non exſcindetur expectatio tua*: i. e. *multo magis erit tibi præmium, & expectatio*. Sic certam, & omni modo confirmatam puto acceptam a me interpretationem.

VIII. Cœtera quæ à vſ. 29. ad finem Cap. facta referuntur à Jacobo poſt finitam pugnam, dubio carent, quod ad ſenſum verborum. Quæ in rebus dubia eſſe poſſunt, ſatis illuſtrabuntur ſequente oratione. Quod vſ. 32. de more Judæorum fertur, quo in memoriam luctæ Jacobi abſtinent *nervo naſche*: docui §. VI. hodiedum ab iis religioſe cuſtodiri, Poſticam partem ex animantibus (avibus hic exceptis) vel vendunt aliis; vel carnem comedendam perpurgant ab omni muſculo, nervo, ac tendine: ad ipſius hujus facti concelebrationem.

# CAPUT II.

## Illuſtratur Hiſtoria ex diſputatione Dubiorum, quæ ad intelligentiam *Rei Geſtæ* quæruntur.

IPſa ſic licet verba, quibus conſcripta datur hiſtoria, plana ſint, & non dubium fundant ſenſum de *Lucta* aliqua Jacobi: non poterunt tamen non ſe offerre rem geſtam cum judicio ſpectanti, quæ quæri ac definiri debeant. Factum enim novum & inuſitatum varii ad ſuos ſenſus compoſuere. Neceſſarias de eo quæſtiones hic diſcutiam: ſed ſuccincte; cum in pleriſque laudatisſima opera ab Interpretibus collocata ſit.

II. α. Eſt; num *vere* pugnam ejusmodi pugnaverit Jacobus; an *per quietem*? Paucos habet patronos poſterior ſententia: & jure merito. Nullum enim in plana & ſimplice hiſtoria indicium eſt ſomnii. Contra referuntur ſermones, quos cæciderunt cum invicem ſacri Athletæ, tanquam vere habiti. Maxime vero *luxatio feminis* Jacobi & *claudicatio* ejus argumento ſunt: veram fuiſſe hanc luctam: non ludicram & phantaſticam.

III. β. Verum ſi jam vigilanti Jacobo hæc acciderint; alia quæſtio eſt: fueritne proprie ſic dicta pugna & contentio corporis: an vero figurato & improprio ſenſu hiſtoria intelli-

gen-

genda ſit, de luctamentis: qua contra ſpirituale hoſtem piis armis fidei & precum adDeum dimicaverit Jacobus? Sententiam hanc profitetur Hieronymus ad locum Epheſ. VI. 12. ut & ante eum Origines Lib. III. περὶ ἀρχῶν: ſed ut in multis aliis, ita in hac interpretatione ex nimio allegoriarum ſtudio à rationis norma declinaverunt. Aliud enim eſt, ſtatuere, tale quid hac *re geſta* fuiſſe ſignificatum: (quod ſi verum non ſit, ſaltem non abſurdum:) Aliud, clare ſonantia, ac planisſimum ſenſum dantia verba in figuras detorquere. Hypotheſis etiam ea, quod luctatus fuerit Jacobus non contra Angelum *bonum*, ſed ejus ope contra *malum*: repugnans eſt hiſtoriæ; ut mox planius dicam. Sed corporali, & vere ſic dicta *lucta* exercitum eſſe Jacobum; ſi quid posſit, clare apparet ex contortione coxæ Jacobi. Narrat accurate Hiſtoricus; luxatum ei ex hac pugna femur; dimotum acetabulum; ita ut inde claudicaverit; & eam ob rem hodie etiam Judæos iis partibus in animantibus abſtinere. Qualia ſi unice figurate intelligi posſint, jam non amplius ſermonis commercium tutum eſſe puto.

IV. γ. Sed gravius & ad intelligentiam hiſtoriæ neceſſarium quæſitum eſt: Quis, qualisve fuerit Colluctator hic Jacobi? *Vir*, i. e. perſona aliqua *cum* eo pugnaſſe dicitur vſ. 24. Occurrit hic *primo* fabuloſa & Judaico ingenio digna Rabbinorum ſententia: *Ange-*

*lum*

lum malum fuiſſe, quod genus ſpirituum piis & bonis omnibus male vult: Sed non vulgarem aliquem & inferioris ordinis: verum plurium principem, qui tanquam tutelare *numen* Cananææ terræ, quam per nequitiam & idololatriam habitantium ſuo quodam jure ſibi vindicabat, pium Jacobum ab interiore ejus aditu vi arcere, & male habitum alio ablegare tentabat. Hæc ſatis communis Rabbinorum ſententia, quæ in *Tanchuma* occurrit, & notatur ab Abarbanele ad h. l. & jam ante à Procopio ad h. l. Sed ſi pretium ſpectes, notorie indigna & inſulſa opinio eſt: *α*. Enim *Deum* fuiſſe opinatus eſt Jacobus (& non vana equidem fide,) at in omni Scriptura V. T. ſingularis ſubſtantia nuſquam abſolute *Deus* vocatur; nedum ſpiritus malus. *β*. Quid *benedictionem* peteret Jacobus à tali Angelo; cujus nec potentia nec voluntas id permittebat? *γ*. Et an id ergo ſe admittere poſſe arbitrantur ſalvâ Dei Majeſtate, & Gentis ſuæ gloriâ: quod *Iſraëlitarum* nomen, quo à Deo in S. S. nuncupantur; quoque præ cæteris mortalibus ſuperbiunt, auctore Diabolo geſtent? Is ipſe enim, qui adverſam partem ſe dedit Jacobo in hac luctâ, impoſuit ei hoc nomen. Sed *δ*. *Bonum Angelum* ad minimum titulo hoc ſignaſſe Patriarcham, docet confirmatio hujus triumphalis nominis, quæ à *Jehova* facta memoratur Gen. XXXV. 10. Deum autem acta Satanæ comprobaturum, & imitaturum bene

ſcilicet ab eo conſtituta, grave concoctu eſt. Sed abſtineo ulterius refutandis ineptiis.

V. Et eſt tamen fatendum: Origenem & Hieronymum, quos ſupra citavi, ejuſdem generis Adverſarium Jacobo dare; ſed vitant ſummam abſurditatem, quæ in fabula Judaica hæc eſt: illum qui in textu *Vir*, deinde *Deus* dicitur, quique Jacobum inſigni nomine *Iſraëlis* auxit; illum, inquam, malum ſpiritum fuiſſe; ante etiam colluctatorem Jacobi. Negant Antagoniſtam in textu ſignari; ſed quæ altera à Jacobo diverſa perſona memoratur, ac *Vir* & *Deus* dicitur: Angelum eſſe bonum, ajunt: non qui *contra* Jacobum dimicaverit, ſed qui *cum eo* adverſus alium ſpiritum malum fecerit. In hunc modum accipiunt hiſtoriam: Et *luctatus eſt* איש עמו, *Vir cum ipſo*. Id ellipticum volunt, quaſi dixiſſet Hiſtoricus: *Luctatus eſt Jacobus*: (ſcilicet contra ſpiritum malum ſe angentem, & ſpiritualiter tentationibus oppugnando) *Et Vir cum ipſo*; quod foret *una cum ipſo*, ipſum adjuvans, cum Jacobo junctis viribus dimicans contra Adverſarium ejus, malum Spiritum. Sed expoſitionem contortam & vero non conſentaneam hæ rationes arguunt: α. Improbabile eſt, deſcriptum iri luctam Jacobi, & ejus Adverſarium nullo nomine inſigniri: ejus nullam mentionem fieri. Si vero id עמו *cum eo*, non de *Antagoniſta*, ſed *Adjutore* intelligendum ſit: ille qui contra hos duos, bonum Angelum

&

& Jacobum, ſteterit, alto ſilentio præteritur in toto textu: qui mirus quidam eſt narrationis defectus. β. Eſt etiam id inſolens, & inuſitatum orationis genus, ut & verba & nomina relativa, quæ toto vſ. 25. juxta illos (& res patet) ad Antagoniſtam Jacobi pertinent; carerent nominato ſubjecto. γ. Dein apparebit legenti textum: eandem eſſe perſonam, quæ deſcribitur victa à Jacobo vſ. 25. & quæ rogavit Jacobum, ut *ſe dimitteret*, vſ. 26. quod negant, ſed absque ratione; decurrit enim oratio in iisdem relativis. Si vero diverſum ſubjectum à priore vſ. 26. introduceretur, nomen ipſum, vel character diſtinctionis apponi deberet. δ. Deinde phraſis האבק עמו, *luctari cum eo*, manifeſte ſumitur pro luctari *contra eum*, vſ. 25. An vero præcedente commate contrario ſumeretur? ε. Verum Doctisſimorum Patrum meram hanc fuiſſe inconſiderantiam apparet ex vſ. 28. Ubi *Iſraëlis* titulus confertur in Jacobum ab Angelo jam, ut volunt, bono; non eo, quod Cacodæmonem ſuperaſſet, ſed *Deum*. Imprimis ex Hoſ. XII. 4. *Et in robore ſuo principem ſe geſſit cum Deo: Quin Ducem ſe gerebat cum Angelo.*

VI Conſtat ergo in textu ſignari duas tantum perſonas; alterum Jacobum, alterum illius Collutatorem, qui primo איש, dein אלהים dicitur. Conſtat enim, Virum hunc *Angelum* fuiſſe, ſive ſubſtantiam ſpiritualem;

id enim ex nomine אלהים, ex toto contextu, negante etiam nemine luculentiſſimum eſt. Nomen אישים, ut Ἀνδρῶν vel Νεανίσκων in libris N. T. de iis obvium eſt. Exempla proſtant apud omnes; adducunt eorum copiam ex V. T. Rabbini ad h. l. & ex N. T. unum inſtar omnium eſt Act. I. 10. Demonſtravimus pariter, Spiritum hunc de genere *Bonorum* fuiſſe. Sed *tertia* diſquiſitio eſt de hoc Antagoniſta Jacobi: Fueritne Angelus *Creatus*: an *Increatus*: & quis? Prius heic tenent ii omnes, qui de dogmate S. S. Trinitatis ſiniſtre ſentiunt. Faciunt cum illis præcipui ex Pontificiis, ſed ut propudioſæ ſententiæ de Cultu Angelorum ſerviant. Heic enim Jacobus à diſceſſuro Angelo *benedictionem petiiſſe* dicitur: quem ſi creatum fuiſſe ſtatuas, concedis, juſte ac legitime Angelos implorari. Juvari ſe putant auctoritate Origenis & Hieronymi, quos *Virum Deumque* hic memoratum, etſi non Antagoniſtam Jacobi; Angelum tamen creatum facere, annotavimus §. V. Judæi aliqui, ut Jarchius, plus etiam ſapiunt, & rem exponunt accuratius. Angelum hunc ajunt fuiſſe Cuſtodem, genium bonum Eſavi, qui cum cliente communes amicitias & odia habens; Jacobum fratri inviſum idcirco hoſtiliter aggreſſus ſit. Fabulæ.

VII. Quamvis vero tanta ſit diſſentientium turba: nulla tamen ratio eſt, quare oppoſitam ſententiam cunctantius amplectamur. Fuit hic Angelus ipſe Dei Filius, verus & ſummus Deus, ſub Oeconomia promiſſionis Dei Patris perſonam tanquam Ejus *Legatus* ſuſtinens; in Scriptis V. T. præter nomina naturæ ſuæ convenientia celebratisſimus titulo *Angeli* κατ' ἐμφασιν, vel *Angeli Jehovæ*. Admiſſa communiter ſententia non auctoritate plurium, aut præſumtione inani, ſed omni exceptione majoribus argumentis, nititur. Cognoſcatur & judicetur res ex documentis, α. Extra controverſiam poſitum eſſe oportet, perſonam hanc eandem eſſe, quæ in Scriptis V. T. obviam eſt, & inſignis nomine *Angeli*, *Angeli Jehovæ*, *Faciei Jehovæ*, *Fœderis*; iisque titulis *contradiſtincta Angelis gregariis*, ut patet ex clarisſimis locis Geneſ. XVI, 7. XXI. 11. 13. Exod. XXXIII. 2. 4. coll. vſ. 14. quamplurima alia loca prudens prætereo. Idem hic occurrit Angelus inquam; I. Is enim ipſe fuit, qui antiquis illis naſcentis Eccleſiæ temporibus Patriarcharum ſingularem curam gesſit: ipſorum rebus præſenti numine interfuit, ipſis apparuit, revelationes concesſit, & in omnibus negotia Dei Patris adminiſtravit. Is idem erat, qui in ſcalarum ſummitate ſublimis vertice ſidera feriens à Jacobo conſpiciebatur, cui ſa-

xum unctione conſecrabat. (*m*) Quæ itaque dubitandi ratio: quin in tam illuſtri caſu ad conſolationem, & confirmationem ſalutis Jacobi inſtituto idem rem geſſerit? II. Diſertis verbis Sacrum hunc Antagoniſtam Jacobi, מלאך, *Angelum* characteriſtice vocat Hoſ. XII. 5. cum modo eundem *Deum* appellaſſet. Jam autem hunc *Angelum Jehovæ* verum Deum fuiſſe, tot, tamque gravibus rationibus demonſtratum dedere Theologi; ut nulla hactenus tolerabilis exceptio ad ea prolata ſit. Referre argumenta ſuperſedeo: cum alienum id ſit à propoſito. Docte, meo judicio, & præ cæteris explicate hanc quæſtionem diſputavit Joſua Placæus, (*n*) qui conſuli poteſt.

VIII. β. Si verum ac bonum Angelum fuiſſe dicas, quo nihil evidentius: & Deum fuiſſe credendum eſt; quia teſtatur, eſſe ſe *Deum*. Laudaturus Jacobum à virili animo, exponit ei, quod ignorabat; fortiter ipſum ſe gesſiſſe cum אלהים, DEO. vſ. 28. Ideoque *Iſraëlem* nuncupat Patriarcham, quod שרה, ut princeps egiſſet cum DEO. Veritatem teſtimonii confirmat fides Jacobi, qui locum certaminis ſignat *Peniel*, *vidi Deum*, vſ. 30. Utriusque fidem comprobat Hoſeas XII. 4. *Principem ſe geſſit* (Jacobus) *cum Deo*,

(*m*) Gen. XXVIII.
(*n*) Lib. de Divin. Filii Part. II. Diſput. XXIII.

*Deo*, ait. Quid vero his evidentius? Nomina enim cum ſint ſigna rerum & perſonarum, quæ hunc unicum & proprium uſum habent, ut quæ qualeſve res ſint, & qua ratione ab aliis diſcriminatæ, declarent: quid negemus *Deum* eſſe, qui Deus eſſe aſſeritur ab iis teſtibus, quorum ſexploratiſſima & conceſſa fides eſt? Qui negat, & uſum & fidem omnis linguæ & ſermonis tollit. Nec adferri huc ulla ſpecie poteſt; (quod etiam â quoquam hic fieri non deprehendi) notionem אלהים tenuiore ſenſu Excellentem quandam Perſonam notare. Quippe ratione *naturæ* opponitur *hominibus*, vſ. 28. *prævaluiſti Deo: quanto magis hominibus?* Jacobus lætabatur, quod viſâ *Dei* ſpecie ſalvus evaſiſſet: locum פניאל *peniel* nominat, & quæ plura. Ne jam dicam nullum extare in S. S. exemplum, quo certa & ſingularis ſubſtantia *Deus* dicatur, nedum *in prædicato*, & cum oppoſitione *ad homines*. Sed ſollertius inſtituere ſibi videntur Docti Viri, qui אלהים veram Divinitatem hic deſignare agnoſcunt: at id nomen Jacobi Adverſario *ratione ſui* attribui negant. *Deus* ergo vocatur Angelus creatus: quod in eo Deus operaretur; quodque ipſe *nomine* & *potentia Dei* luctatus eſſet, *perſonam Dei* ſuſtinens: *Alienam perſonam, adeoque & nomen aſſumpſiſſe*, ait Crellius, *Deo ita volente: ſimile fieri in dramatibus: ut alter alterum non referre; ſed ipſe eſſe videatur. Sic & Legatum Regem ſuſtinere.* Et ita

communiter omnes. Ipſo duntaxat textu meo, & prolatâ reſponſione utar ad eam refutandam Cum hic ex more & conſuetudine loquendi vel agendi depromatur reſponſio: id ſaltem jure merito quiſque poſtulaverit, ut quæ de hoc more agendi prædicantur, vera ſint Sed eſtne jam ſtylo Scripturæ S. vel ullius populi more receptum; ut *Legatus* vel *Mandatarius* nomen Principis & titulum ſibi ſumat? Adfert faciem Regis Legatus, Ejusque majeſtate ſanctus quoque eſt; *titulos* autem *Regios*, nedum *proprium Domini nomen* ſumit, ſi bene ſciam, nunquam. Ex hiſtrionia quod hic affertur, putidum eſt; neque enim dramatice geſta res fuit. Eſt quoque id tam ridiculum, quam inauditum, ut qui miſer de grege hiſtrio perſonatus Rex fuit; poſtea qualis ſit, roganti ſerio declaraturus, vel ab alio deſcribendus; ut ille, inquam, propter geſtam perſonam *Regem* ſe eſſe dicat, quem larva mentitus erat.

IX. γ. Propoſitæ argumentationi non leve pondus accedit eo: quod Jacobus, cum intellexiſſet, ſibi cum *Deo* rem fuiſſe, laudaverit fortunam, *quod de facie ad faciem vidiſſet Deum, & erepta eſſet anima ejus.* Recepta nimirum erat veteribus opinio; neminem ſpeciem Dei adſpicere poſſe citra jacturam vitæ: ut patet ex exemplis Jud. VI. 22. 23. & XIII, 22. Idcirco jam de ſalute, ut inſperato

to valde bono lætatur Patriarcha. Atqui ſimul vides certo perſuaſum habuiſſe pium Virum, cum ipſo & vero Deo rem ſibi fuiſſe: quippe Angelorum majeſtatem tantum ſpectatoribus imprimere vulnus, nunquam creditum eſt. Cogitare nemo hic in animum induxerit falſum eſſe in opinione Jacobum; ſe *Deum vidiſſe de facie ad faciem*: quoniam vivus ſuperfuit: negat enim Deus *quemquam faciem ſuam videre poſſe & vivere.* (*o*) Sed verum credidiſſe Patriarcham, abunde modo demonſtravimus. Difficultas nulla. Notio enim פנים, *faciei*, inſignis eſt diverſitate ſignificatuum. Hic in genere *ſpeciem quandam externam, præterordinariæ Dei præſentiæ* dicit: (*p*) in aliis vero locis reſtricte *Facies* in oppoſitione ad *Poſteriora*, notabat, *Anteriorem partem* fulgidiſſimam *Symboli Divinæ Majeſtatis.* Diſtinguenda non ſemper accurate obſervarunt Veteres: & inde promanavit pervagata hæc opinio, & Jacobi metus: ſed de his alibi diſputavimus.

X, §. Si porro verborum habenda ſit aliqua ratio: ſi nomina naturâ & uſu ſuo non penitus careant apud Scriptores quidem S.: acceſſione magnâ rem noſtram augeri videmus ex Geneſ. XXXV. 10. ubi eadem proculdubio perſona, (& quis neget?) ſe offert,



(*o*) Exod. XXXIII. 20.
(*p*) Sic clare Deut. V. 24. 26.

fert, *Deum* ſe dicit, אלהים, & *benedictionem, &* *nomen Iſraelis*, heic Jacobo conceſſa, ei confirmat. Imo vero vſ. 11. ait ſe eſſe אל שדי, *Deum Omnipotentem*: quod characteriſticum nomen eſt veri Dei. (*q*)

XI. ε. Jure merito additur & hoc: *benedictionem* Jacobum rogaſſe ab hoc Antagoniſta: conceſſam quoque accepiſſe. At bona omnis generis, vitæ hujus & futuræ, addicere homini, non eſt in poteſtate alterius, quam qui eorum Dominus eſt, & independens diribitor. Stat itaque ſententia hæc: cum Divina perſona concertaſſe Jacobum; cum Dei Filio qui eſt ille *Angelus Fœderis*, qui adminiſtravit OE. V. nomine Patris: quem Jacobus celebrat, tanquam qui ſe *ſervaſſet ab omni malo*: (*r*) unde ejus *benedictionem* quoque pio voto derivat in nepotes.

XII. Verum ſi jam ad hoc quæſitum recte diſputaſſe videar: nemini etiam non δ. ſubnaſcetur alia gravis & in ſpeciem ineluctabilis difficultas. Quî enim Divina Perſona lucta cum mortale experiri voluit? *Imo quomodo homini prævalere non potuit?* Neque exitus eſt, ſi dicas, rem in ἐκςάσει, vel per quietem geſtam: quod refutavimus: & hæc res tantum a ſana ratione abhorrere videtur, ut

(*q*) Exod. VI. 3.
(*r*) Gen. XLVIII. 16.

ut Deus homini veluti ſuccumbat: ut fingi ne quidem posſit ſine repugnantia. Antequam ad hoc quæſitum accedam, præmonendum duco: non tamen præter mentem verborum & Hiſtorici difficultatem aggravandam eſſe. quod fit a Doctis viris; ubi nomen *Iſrcëlis* exponunt per *Victorem Dei*: & Jacobum introducunt, tanquam qui *ſuperaverit* Deum. Sano & tenui ſenſu id hac ratione dici poteſt, & ſi dicatur, intelligi debet; non ſuperatum eſſe ipſum Jacobum, neque viribus S. Adverſarii proſtratum: ſed ſtatum ſuum bene tuitum eſſe. Dicitur *non prævaluiſſe* (Virum) *Jacobo*; vſ. 25. non vero *Jacobum prævaluiſſe Deo*; id enim ex falſa verſione vſ. 28. ortum eſt, ut ſupra demonſtravi: ibi enim id ותוכל & *prævaluiſti*, vel potius *prævalebis*, non ad *Deum*, ſed ad *homines* relatum eſt. Ad quod ſi recte attentum fuiſſet; nomen *Iſraël* pasſim & ubique redditum non fuiſſet per *Victorem Dei*. Dicit enim duntaxat eum, *qui fortiter cum Deo, & inſtar Heroïs ſe gerit*. Sed ſic etiam remanet magna pars difficultatis: quid enim cauſæ fuit, quod Deus Jacobo non prævaluerit? Alii ergo rationem quærunt in quantitate & forma materiæ; quacum in Jacobi corpus egit Angelus, quæ comparata non fuerit ad compagem illius ſolvendam. Alii *noluiſſe* Angelum prævalere putant; ipſiuſque aggreſſus ludicros, & ad terrorem magis, quam vim inferen-

ren-

rendam comparatos fuiſſe. Sic *non poſſe* dicitur, qui *non vult*: Marc. VI. 5. Verum etiamſi lubens concedam, non hic uſum fuiſſe Angelum ea, qua poterat, potentia; & non invitum non confeciſſe Jacobum: non hanc tamen ſolam & genuinam rationem expeditæ a Jacobo ſalutis fuiſſe autumo.

XIII. Quid multa? Obſervatum jam eſt a Præſtantisſimis viris, cauſam fortitudinis & victoriæ, ſi ſic dicenda ſit, Jacobi, non fuiſſe ſitam in viribus naturalibus Patriarchæ, comparatis ad leviores inſultus Antagoniſtæ: verum illius virtutis & ſtrenuæ defenſionis auctorem, adjutorem fuiſſe ipſum illum Deum ſeu Angelum, qui eum inſtar hoſtis adortus erat, & gravisſime afflixerat. A Concertatore ſuo auxilium, ſuppetias ſupplex petiit preſſus Jacobus; & impetravit. Ille eum ad virtutem incendit, & de robore ſuo dedit robur: ita ut, quod ſolus non potuiſſet, illatæ vi parem opponeret.

XIV. Mirum id & a ratione remotum judicabit, qui humanis agendi rationibus omnia metitur: ipſum illum qui aggreſſor eſt, ſuas contra ſeipſum dividere vires, imo & iniquius eas partiri, ita ut adverſæ parti non prævaleat. Sed ſic qualiscunque congreſſus Dei cum homine, ſi rem in ſe ſpectes, aliquid abſurdi involvere videtur.

Sa-

Sacro hæc oculo inſpicienda & judicanda ſunt: quod qui fecerit, deprehenſurus eſt, fundere factum hoc ſenſus de ſublimibus religionis Dogmatibus, quæ carni ſtultitia ſunt: ſed in quibus vis Evangelii poſita eſt, de quo ſequenti Parte. Nunc id agendum, ut quod propoſui, ex ſacro textu demonſtrem.

XV. α. Dicitur in textu vſ. 30. Jacobum hoc bello explicitum valde lætatum fuiſſe, quod *vidiſſet Deum, & erepta eſſet anima ejus.* Non ſibi itaque, ſuiſque viribus: ſed inſigni ſibi factæ gratiæ tribuit felicem hujus rei exitum. β. Docet id ſana ratio: neque enim aliæ quam Divinæ vires Divinis opponi poſſunt. γ. Nemo Heroicum & illuſtre factum edit ſine auxilio Divino. δ. Sed clare Hoſeas: Cap. XII. 4. 5. *In utero matris ejus* (Deus) *fratrem ejus* (Jacobi) *detinuit calcaneo;* & per SUAM VIRTUTEM, באונו, *Viriliter ſe geſſit adverſus Deum.* vſ. 5. *Imo viriliter ſe geſſit adverſus Angelum, & valuit: flevit & ſupplicavit,* (i. e. *flendo & ſupplicando*) *Bethele invenit eum, ibique loquebatur cum nobis.* Vides, flentem & ſupplicantem Divino robore evaſiſſe incolumem, & ſic veluti invaluiſſe, Jacobum. Sequitur vſ. 6. *Et Jehova Deus exercituum* יהוה זכרו. Sed prætermittere nequeo difficultatem, quæ mihi orationem Hoſeæ expendenti hæſit ad vſ. 6. neque nulla haberi poterit ab attento lectore. Memoraverat

rat Propheta benevolentiam Dei erga Jaco-
bum : Ultimo autem apparationem Dei ad
Bethelem, Ibi *loquebatur cum eo* : ( vel *cum*
*nobis* , in Jacobo ) ſubjungit vſ. 6. ויהוה
אלהי הצבאות יהוה זכרו, ex hac punctatione
de verbo ad verbum : *Et Jehova Deus Exerci-*
*tuum , Jehova memoriale ejus.* Sed cum nihil
vel in hoc, vel in ſubſequente ſermone præ-
dicati occurrat : vertunt : *Nimirum Jehova*
&c. ac ſi Perſonam Jacobo tam amicam ple-
nius heic deſcribere jam vellet Propheta.
Sed an perſpicue ? dubito. Quippe ſubje-
ctum hoc *Deus*, quo cum res fuerat Jacobo,
in ſingulis ſententiis non innuerat, ſed ex-
preſſerat Hoſeas. vſ. 3. *Jehovam* vocat, vſ.
4. *Deum.* vſ. 5. *Angelum* : An jam vero inte-
gro rurſus commate deſcribetur is, qui ubi-
que abunde declaratus erat ? Sed cavebo;
ne Divinæ potius orationi tribuam, quod
meæ ignorantiæ erat imputandum. Tan-
tum modeſte dixerim ; plana mihi omnia
videri, ſi pro זִכְרוֹ levi tantum punctorum
mutatione legatur זְכָרוֹ, *recordatus eſt ejus*,
( Jacobi nimirum , ) de quo mentio fuerat
continua. Oratio Prophetæ ſic facilis fluet:
Deus Luctatus eſt cum Jacobo : anxius Ja-
cobus flendo & ſupplicando gratiam ejus de-
precabatur : confirmavit eam ipſi Angelus
Bethele ( Gen. XXXV. 10. *Et Jehova Deus*
*Exercituum recordatus eſt ejus* : quod eſt , re-
cepta Hebræis phraſi, benignum ac bene-

volum ſe ei dedit in difficili caſu, ſervavit ex diſcrimine & periculo. Sic I. habes completam ſententiam, *ſubjecto prædicato* & *copula* expreſſa conſtantem: eamque devinctam naturali copula cum oratione ſuperiore. Imo & cum ſubſequente: Sic enim ex præmisſis inſtat Propheta: *Tu itaque (Judae) converte te ad Deum tuum: ſerva benevolentiam & jus, & ſpem pone in Deo tuo.* Cum enim Jehova Patri ipſorum Jacobo benigno numine, etiam in gravisſimis animi angoribus, & vitæ deſcriminibus, adfuiſſet: neque Iſraëlitis, populo fœderato, ſe negaret propitium & amicum, quin ipſorum in anguſtiis *recordaretur.* Animadverte eandem in eadem circumſtantia phraſin, adeoque ad hanc emendationem illuſtrandam idoneam, in aliis locis: Sic Gen VIII. 1. ויזכר אלהים את נח, *Meminit Deus Noachi*, i. e. deletis cæteris omnibus, ex gravi periculo liberavit Noäm, eique propitius fuit. Levit. XXVI. 45. *Tum eorum reminiſcar*, וזכרתי להם, iis propitius redibo. Pſ. CXXXII. 1. *O Jehova* זכור לדוד, *memento Davidis, & omnis paſſionis ejus.* Hinc ἰσοδυναμοῦντα ponuntur, *meminiſſe alicujus*, & *eum viſitare* (s): Et quæ alia ejus generis plura ſunt ſparſa per omnem Scripturam S. teſtimonia (t). XVI.

(s) Pſ. VIII. 5.
(t) Alia exempla V. Num. X. 9. Jud. XVI. 28. I. Sam, I. 11. Neh. VI. 14. Pſ. LXXXIX. 51. CXXXVI. 23.

XVI. Sic habe pium Jacobum cum ipſo Deï Filio, humana ſpecie apparente, commiſſum: gravi lucta exercitum, vulneratum: at ſui Adverſarii viribus valentem, ſtatumque tuentem. Qua de re non duntaxat jure merito lætus ovanſque diſceſſit: ſed vel maxime de eo; quod una cum inflicto vulnere mente recepiſſet Divinarum rerum doctrinas ſublimes, ad conſolationem ipſius, omniumque Sanctorum aptiſſimas.

## II.

*Viro admodum Reverendo*

FRIDERICO A. LAMPE,

V. D. Miniſtro in Eccleſia Bremenſi inclyto,

H. DEUSINGIUS

χαίρειν καὶ ἀπράττειν.

BIbliothecam veſtram, Vir præclare, ſimul atque ea ad has oras appulit, ocyus perlegi, & ex ea, præter ſingularem animi voluptatem, conſolationem quoque non modicam percepi, cum animadverti te non modo dignatum eſſe mea

qua-

qualiacunque μελετήματα ei inſerere; ſed nec gravatum honorificam de me facere mentionem quin & publicam famæ meæ defenſionem ſuſcipere, atque ita damnum, ei forte datum, duplicato ſarcire. Quod eſt genuinum æquitatis Chriſtianæ & generoſæ indolis, ingenium. Propterea officii mei eſſe putavi, nulla mora interpoſita, nec exſpectatis à te reſponſoriis, tibi pro illa minime fucatæ amicitiæ teſſera gratias agere: quemadmodum eas hoc nomine ago, quas poſſum maximas. Et, quoniam eas referre non licet, viſum eſt mihi, in aliquam grati animi ſignificationem, ſequentem adjicere Diſſertationem. Quæ, ſi tibi non diſplicuerit, erit quod ſibi gratuletur: ſin, promptitudinem obſequii mei ſaltem indicabit. Vale prolixisſime.

# DISSERTATIO

*qua oſtenditur,*

Johannis Cap. 5. verſu 25. agi DE RESURRECTIONE SPIRITUALI, ei ſuppari, qua de actum fuerat verſ. 25.

QUoniam, Vir præclare, in Bibliothecæ veſtræ faſciculo I. p. 147. hæc reperio. *De loco Joh. V. v. 28. 29. Deuſingius ait, Jeſum in illis*

*verſibus de ejusdem generis reſurrectione, nempe Spirituali loqui, qua de egerat verſu 25. invictis rationibus demonſtrari poſſe videtur* : & mox, *Invictas illas rationes enixe deſideramus, quibus, ſi pragnantes fuerint, in Commentario quem in Johannem paramus, lubentes aſſurgemus*, non poſſum quin, hoc modo requiſitus, deſiderio tuo ſatisfacere pro virili annitar, & rationes, quibus hoc quod dixi opinor evinci, judicio tuo ſubactisſimo trutinandas exhibeam. Illæ autem rationes peti mihi poſſe videntur partim ex ipſo verborum v. 25 - 30. contextu, partim ex eorum connexu cum antecedentibus.

I. Rationes, ex ipſo verborum illorum contextu depromendæ, ex brevi illorum περιφράσει elucescent.

Nemo dubitat quin verſu 25. ſermo ſit de vivificatione ac reſurrectione mortuorum, non corporali, ſed ſpirituali, h. e. de converſione & vita gentium. Atqui verſus 28. cum verſu 25. inſeparabiliter cohæret, nec de diverſo reſurrectionis genere, meo quidem arbitratu, poteſt intelligi. Quandoquidem Servator verſu 25. duplicis vivificationis, alterius præſentis, ſeu inſtantis, alterius poſt futuræ, ſed utriusque ſpiritualis, mentionem facit, cum dicit ἔρχεται ὥρα, καὶ νῦν ἐστι *venit tempus, & nunc eſt*, cum videlicet mortui, auditâ voce Filii Dei, vivent. Neque enim hic ſubſcribere poſſum, Cel. Coccejo, qui

τὸ ἔρχεται 'venit ad promisſionem τὸ ἐςὶ eſt ad promisſionis implementum, refert, cum τὸ ἔρχεται venit, & quidem ipſum hoc ἔρχεται ὥρα, venit tempus, alibi paſſim de futuro uſurpetur, veluti Joh. 4: 21. 9: 4. 16: 2, 4. 32. quemadmodum & hic verſu 28. Nec ratio deeſt cur præſens futuro poſtponatur, mox indicanda. De utraque autem vivificatione Jeſus diſtincte & ſeorſim agit; de poſteriore v. 25-27. de priore v. 28-30.

Poſteriorem vivificationem (quæ temporis ordine prior eſt) Dominus proponit v. 25, à cauſa ſua arceſſit, v. 26. eique annexum eſſe judicium docet v. 27.

Vivificationem illam proponit v. 25. verbis, *Nunc eſt hora cum mortui audient vocem Filii Dei & qui audierint vivent*. h. e. Nunc inſtat tempus cum gentes, ſpiritualiter mortuæ, audient; h. e. auribus percipient, ut Rom. 10: 14. ſermonem vitæ, Act. 5: 20. 13: 46. (quæ eſt vox Filii Dei, Pſ. 29: 4-9. & 95: 7.) & quicunque ex gentibus audierint, h. e. ei crediderint ac per fidem obedierint, Act. 28: 28. ſpiritualiter reviviſcent. Quanquam enim Johannes, per uſitatam ſibi βραχυλογίαν, hanc propoſitionem, ipſi partitioni includat, non repetito priori partitionis membro, ut ſignificet vivificationem ſpiritualem ad utrumque tempus eſſe referendam, nihilominus prius illud partitionis membrum, *nunc eſt hora*, poſteriore loco po-

 nit

nit, & ἀμέσως cum vivificatione conjungit, ut repetitione non ſit opus.

A cauſa ſua eam arceſſit v. 26. verbis, *Sicut enim Pater habet vitam in ſe ipſo* ( quod Deo privum eſt, cum nos homines non habeamus vitam in nobis, Joh. 6: 53. ſed in Deo duntaxat, Act. 17: 28. omnis vitæ auctore 1. Tim. 6. 13. ) *ſic dedit & Filio habere vitam in ſe ipſo*, non tantum per generationem Filii æternam ( quæ hic ſupponitur ) ſed etiam ( quo hic præſertim ſpectatur, ubi Filius Dei conſideratur ut *filius hominis*. Siquidem verba ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστι cohærent cum utroque ἔδωκε v. 26. & 27. ) per ſuſcitationem reſurrectionemve ejus ex mortuis, quæ illius demonſtratio eſt. Quando *Pater ei qua filio hominis dedit poteſtatem animam ſuam in ſe ipſo deponendi eamque rurſus* à ſe ipſo *aſſumendi*, Joh. 10: 18. ut oſtenderet ſe, qua Filium Dei vitam habere in ſe ipſo, ſibi ab æterno à Patre impertitam, eamque ἀκατάλυτον, *indiſſolubilem* Hebr. 7: 16. quæ per ipſam mortem non poterat diſſolvi, quippe morte validior: Act. 2: 24. eòque ſe, ceu vitæ fontem, Pſ. 36: 10. jus & poteſtatem habere vivificandi mortuos nec τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ *parem eſſe cum Deo*, h. e. τὸ vivificare mortuos, rapere, ſed jure poſſidere. Phil. 2: 6. Adeo ut reſurrectio ipſius corporalis ſit cauſa reſurrectionis gentium ſpiritualis, atque hæc illius effectus ſequela. Quæ eſt ἡ δύναμις τῆς ἀναστάσεως αὐτοῦ

vis

*vis* vivifica *reſurrectionis ipſius.* Phil. 3: 10. 11. Quando quidem *filius hominis per* reſurrectionis ſuæ δύναμιν vim (quæ erat δύναμις ζωῆς ἀκαταλύτου *vis indiſſolubilis vitæ* Hebr. 7: 16.) *demonſtratus eſt Filius Dei* ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν *ex reſurrectione mortuorum*, cum Judæorum tum gentilium. Rom. 1: 4. quippe *verus Deus & vita* mortuorum *æterna*. 1. Joh. 5: 20.

Vivificationi gentium annexum eſſe judicium docet v. 27, cum dicit, *Et poteſtatem dedit ei judicium excercendi*, *quatenus*, vel *quia*, *filius hominis eſt.* Pater Filio ſuo, quia & quatenus ille eſt filius hominis, mortuus & ſuſcitatus è mortuis, poteſtatem dedit excercendi judicium, vivificationi mortuorum annexum, dum ei poteſtatem dedit *vivificandi quos vult*, v. 21. h. e. vivificandi electos & fideles, quos θέλει *amat*, (ut Matt. 27: 43.) at in poteſtate mortis relinquendi incredulos, quos odit. Nam *per ſuſcitationem ejus ex mortuis Pater eum definivit judicem vivorum & mortuorum*, fidelium & infidelium, Act. 10: 41. 42. coll. 1. Petr. 4: 5. 6. quin *judicem* τῆς οἰκουμένης *orbis terrarum.* Act. 17: 31. *dando ei omne judicium*, h. e. judicium in omnes, tam gentes quam Judæos, v. 22. Quod judicium ipſe exercuit, cum vivificavit quidem Judæos credentes v. 24. genteſque audientes, v. 25. ſed incredulis utrorumque in morte relictis & exitio deditis. Sed & olim

 illud

illud excercebit, cum ſimiliter datos ſibi à Deo & obedientes ex morte ſpirituali in vitam revocabit, ſed Antichriſto & ſectatoribus ejus, hoſtibusque & hypocritis omnibus, morti ſempiternæ adjudicatis. De quo nunc deinceps.

De priore mortuorum vivificatione (quæ temporis ordine poſterior eſt) loquitur Servator v. 28-30. Ubi, præmiſſa præfatiuncula, primum vivificationem, cum judicio ei annexo, deſcribit v. 28. 29. deinde v. 30. exemplar, ſecundum quod in ſtituturus erat judicium illud, ex v. 19. 20. repetit.

Præfatur v. 28 pr. *Nolite mirari hoc*, nempe, quod modo dixi, mihi, qua filio hominis, datam eſſe poteſtatem vivificandi hoc tempore mortuas gentes, & inſimul judicium excercendi in incredulos, quia veniet tempus quo ego, qua filius hominis, pro data mihi poteſtate, vivificationem, cum judicio, inſtituam, etiam magis ſtupendam quam hanc priorem, quanquam ei ſimilem. Quod ſi enim Servator hic v. 28. & 29. loqueretur de ſuſcitatione corporum, ſequeretur vivificationem corporalem eſſe miraculum magis ſtupendum vivificatione ſpirituali, cum tamen hoc opus tanto majus ſit & mirabilius iſto opere quanto animæ præſtant corporibus. Quapropter ſpiritualis reſurrectio emblemate reſurrectionis corporalis pingi & adumbrari ſolet Hos. 6:

2,

2. Ezech. c. 37. Quemadmodum omnes reſurrectiones corporales, quæ in Veteris & Novi T. monumentis memorantur, emblematicæ ſunt & ſpiritualis reſurrectionis umbræ atque figuræ. Exaudiendus itaque omnino eſt Dominus etiam hic de vivificatione ſpirituali, & quidem mirabiliore priori, de qua v. 25.

Vivificationem illam, & conjunctum cum ea judicium, deſcribit v. 28. 29, *Nam venit hora, qua omnes, qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus & prodibunt.* - - - Ubi verba ἔρχεται ὥρα *venit*, h. e. veniet *tempus*, ex verſu 25. repetita, manifeſto ſunt indicio, ſicut v. 25-27. expoſita fuerat vivificatio ſpiritualis temporis ordine prior, cum nexo ei judicio, ita v. 28 - 30. vivificationem ſpiritualem eodem ordine poſteriorem, cum judicio ei annexo, prænunciari, quippe futuram vi ejusdem *vocis Filii Dei*, qua de v. 25, h. e. evangelii, quod, prædicatum ſibi, iterum *audient* ſpiritualiter mortui. Matth. 24: 14. Nimirum Jeſus, ſicut verſ. 25. ſermonem inſtituerat de reſurrectione prima, h. e. de ea converſione gentium, quæ Mortis & Inferni, vel potius ſepulchri, introitum in Eccleſiam, de quo Apoc. 6: 8., antevertit, Apoc. 20: 5. ita his verſibus loquitur de reſurrectione ſecunda, h. e. de ea gentium converſione, quæ projectionem Mortis & Sepulchri in ſtagnum ignis, de qua Apoc. 20: 18. proxime antecedet,

det, ibid. v. 5. 13. Tunc enim, eo qui mortuus eſt & revixit, vivitque in ſecula ſeculorum, quique claves Sepulchri & Mortis habet, portas utriusque recludente, c. 3: 7. *Mors & Sepulchrum reddent, quos habent, mortuos*, d. c. 20: 13. &, cum *Mors non exſtabit amplius*, c. 21: 4. tunc ſuccedet *Vita ex mortuis*, h. e. converſio gentium, converſionem Judæorum comitans. Rom. 15: 8.

Non obſtat, quod hic v. 28. mentio fiat *monumentorum*. Nam, præterquam quod d. Apoc. 20: 13. Mare, Mors & Infernus etiam conſiderantur ut monumenta, e quibus mortui prodibunt, Servator etiam Matth. 16: 18. innuit ſpiritualiter mortuos olim quaſi ex Sepulchris prodituros, cum dicit, *Portæ Inferni*, Sepulchri, *non prævalebunt Eccleſiæ*, h. e. eam, ſibi diu mancipatam, tandem cogentur dimittere. Et Jehova eadem hæc monumenta exſerte memorat Ezech. 37: 12, 14. cum dicit, *Ecce ego, aperiens ſepulchra veſtra, deducam vos e Sepulchris veſtris, popule mi, reducamque vos in terram Iſraëlis, & indam Spiritum meum vobis ut viviſcatis*. Ubi, cum non tantum liberatio Judæorum ex captivitate Babylonica, ſed etiam, ac præſertim, poſtrema eorum converſio, adumbretur, dubio procul intelligenda ſunt *Sepulchra* improprie dicta. Quod bene animadvertit Coccejus, inquiens d. l. *Sepulchra quoque heic metaphorice ſunt intelligenda de locis captivitatis, in quibus Judæi hic agebant in mun-*

*mundo, ut reliquæ gentes ſpem non habentes.* Qui etiam confert Apoc. 6: 8. *Infernum vel Sepulchrum*, illic explicans de *poteſtate Regum & Poteſtatum, Antichriſto inſervientium, & eorum legibus & judiciis, & violentiâ detinente homines in errore & morte ſecunda.* Idem ſtatuendum eſt tum de locis Jeſ. 26: 19. & Dan. 12: 2. (nec non de locis Matth. 8: 28. Marc. 5: 2. 3. ſenſu myſtico) tum etiam de hoc loco. Ubi per *monumenta, e quibus omnes qui in iis ſunt prodibunt*, intelligenda ſunt loca, quibus, tanquam carceribus, incluſi ſunt electi poſtremo tempore convertendi, non tantum ex Pontificiis Hoſ. 6: 2. & Mahumedanis Hoſ. 11: 11. Jeſ. 19: 23. 25. ſed etiam ex Judæis & gentibus longinquisſimis, quæ famam Chriſti nondum acceperunt, neque gloriam ejus viderunt. Jeſ. 66: 19. Rom. 11: 15. Quorum omnium ex ſepulchris ſuis evocatio per vocem Filii Dei erit res oppidio miraculoſa, atque effectura ut omnes, qui eam ſuis oculis vident, præ admiratione obſtupeſcant. Vide Jeſ. 49: 21. 60: 5. & conf. Jer. 33: 9. Act. 2: 7. 10: 45.

Neque nos morari debet quod v. 29. memoretur, non tantum *reſurrectio vitæ*, ſed etiam *reſurrectio judicii.* Quandoquidem, ut vidimus, Filio Dei, qua Filio hominis, data eſt poteſtas, non tantum vivificandi mortuos, v. 21. ut qui per reſurrectionem ſuam eviden-

 ter

ter oſtenderat ſe vitam habere in ſe ipſo, v. 26. adeoque & impertiri ſe eam tam aliis quam ſibi ipſi poſſe, v. 25. ſed etiam judicium exercendi v. 27. & quidem omne, h. e. in quosvis, v. 22. adeoque non tantum primo tempore in Judæos & Græcos incredulos, Rom. 2: 8. 9. ſed etiam poſtremo in Antichriſtum & ſtipatores ejus, in Mortem & Sepulchrum eosque qui in mortem ſecundam inciderant, quin etiam in omnes mortuos à Mari, Morte, & Sepulchro redditos. Neque enim illi, qui eo tempore evocabuntur per vocem evangelii ex ſepulchris Papatus, Mahumediſmi, Judaismi, aut Ethniciſmi, omnes erunt vivi, *ſcripti in libro vitæ*, ſed magnam partem *mortui*, judicandi ex libris Veteris & Novi Teſtamenti. Apoc. 20: 12. Confer Matth. 13: 48 - 50. nec non Act. 24: 15. Ubi ad reſurrectionem mortuorum myſticam inprimis collimari alibi ad Act. 23: 6 - 8. oſtendi.

Exemplar, ſecundum quod Dominus inſtituturus erat iſtud judicium, indicat v. 30. cum, repetens quod dixerat v. 19. 20. ait, *Non poſſum ego à me ipſo facere quicquam, prout audio judico - - -* Jeſus *nihil poterat a ſe ipſo facere*, conf. c. 8: 28. ſicut nec poterat quidquam *à ſe ipſo dicere*, c. 7: 17. 12: 49. 14: 10. nec *à ſe ipſo venire*, c. 7: 28. 8: 42. Nam ſicut venerat miſſus à Patre, ita dicebat docebatque quod Pater ipſi mandaverat, d. c. 12: 49. &

fa-

faciebat quod Patrem viderat operantem ſibique monſtrantem, ut quæcunque Pater faciebat, eadem ipſe faceret ὁμοίως, *ſimiliter*. Putem heic ſpectari, non ad unitatem naturæ, conſilii, voluntatis, & operis, Patris & Filii, quâ Filii Dei, ſed ad τὴν ὁμοιότητα, *ſimilitudinem*, ſeu analogiam intercedentem, inter opus quod Pater operatus erat atque operabatur ſub Veteri T., & opus, quod Filius Dei, quâ Filius hominis, operaturus erat ſub Novo. Nimirum opus Patris præordinare, promittere, præfigurare opus redemptionis, ejusque conſectaria, usque ad Filii adventum, Rom. 1: 2. coll. Matth. 11: 13. opus Filii præſtare ut omnes Patris promiſſiones eſſent etiam & Amen ad gloriam Patris, 2. Cor. 1: 20. quo comperiretur & agnoſceretur eum eſſe veracem, Joh. 3: 33. nec ab eo, quod Pater præordinaverat ac præmonſtraverat ſeu præfiguraverat, vel latum unguem diſcedere, ſed omnes Patris Sculpturas (Zach. 3: 9.) in ſe ipſo repræſentare, atque opus redemptionis efficere ſecundum Patris ὑπογραμμον, *exemplar*, ut veritas, quæ in Filio eſt, Eph. 4: 21. decreto ac promisſioni Patris per omnia ſimilis eſſet & conſentanea. Sic quoque tunc *judicabat* Filius Dei, quâ filius hominis, & tempore illo, venturo judicaturus erat, *prout audiebat*, vel, ut eſt, Joh. 8: 26. 40. 15: 15. *prout audierat à Patre*, nempe ex Scripturis prophe-

pheticis. conf. Joh. 6: 45. 12: 34. Scripturæ quippe non tantum prædixerant Chriſto datum iri omne judicium Pſ. 72: 1, 2. Jeſ. 33: 22. Ezech. 21: 27. Mich. 4: 14. ſed etiam quale futurum eſſet ipſius judicium ex amuſſim præfiniverant Pſ. 2: 9, 12. 9: 9. 50: 21. 22. 67: 5. 96: 23. 98: 9. Jeſ. 5: 5. Ezech. 39: 17. 20. 22. Joël. 3: 12. &c. exponentes affatim tùm geminam illam vivificationem electorum & credentium ſpiritualem, tùm conjunctum cum ea judicium utroque tempore in incredulos & rebelles excercendum.

II. Rationes, quas horum verborum cum antecedentibus connexus ſuppeditat, ex illorum inſpectione innoteſcent.

Perſpicuum eſt totum Chriſti ſermonem, inde à verſ. 19. non tantum eſſe apologeticum, ſed etiam exegeticum. Adeoque intellectum ejus pendere & arceſſendum eſſe à ſuperioribus, & nominatim à duobus miraculis, verſibus 2-8. memoratis. His autem vivificatio ac reſurrectio, non corporalis ſed ſpiritualis, figurabatur. Proinde hæc quoque totius ſermonis Chriſti unicum eſt argumentum. Quæ paucis declaranda ſunt.

Apologeticus eſt ſermo Jeſu, quatenus ipſe Judæis, indignantibus tûm quod ipſe ſolviſſet

ſet Sabbatum, tùm quod, homo cum eſſet, ſe ipſum faceret Deum, v. 18. coll. c. 10: 33. ex ipſo opere Patris ſui & ſuo demonſtrat ſe, non tantum eſſe filium hominis, ſed etiam Filium Dei, Patri æqualem. Proinde ſe non tantum poſſe vivificare mortuos, perinde ut Patrem, & ad hoc jus habere, quatenus erat filius hominis, mortuus & ex mortuis redux, ſed etiam eſſe Dominum Sabbati, qui, ſicut Sabbatum inſtituerat in ſignum futuræ ſanctificationis, Exod. 31: 13. ita, hac peracta, illud & poterat abrogare & jure merito volebat. Idem ſermo exegeticus eſt duplicis miraculi, de quo d. v. 2-8. Quorum altero Pater hactenus præfiguraverat ſanationem Judæorum ἀσθενούντων, *infirmitate laborantium*, (quæ revera erat vivificatio mortuorum Eph. 2: 5.) futuram præſtituto tempore, cum, deſcendente Angelo fœderis, ac propter meritum ejus Spiritu S., (qui erat Spiritus vitæ Rom. 8: 2.) & aquam mortuam baptiſmatum legalium adjunctæque execrationis (quam ſubire debuerant Judæi, ſicuti aquâ Betheſdæ merſabantur pecudes,) virtute ſua movente conturbanteque, h. e. convertente in aquam vivam & vivificam ſuorum chariſmatum, conf. Joh. 4: 10. electi & fideles, hoc lavacro tincti, revicturi, quippe per legem Spiritus vitæ in Chriſto liberandi à lege peccati & mortis, d. c. 8: 2. Altero Jeſus, hanc figuram Patris impetrato per mortem ſuam ef-

fu-

fuſoque Spiritu vitæ, jamjam adimpleturus; hoc agebat, ut Judæos in anteceſſum convinceret ſe eſſe tàm Filium Dei quàm filium hominis, qui proinde poterat non tantum voce ſuâ omnipotente ſuſcitare mortuos Judæos, (adeoque & gentes) ſed etiam jure meritoque ſuo ſolvere Sabbatum, (adeoque & totam legem rituum, cujus Sabbatum quaſi compendium quoddam erat Exod. 20: 10. Matt, 12: 2. 8.) &, exhibitâ verâ requie, requiem umbraticam abrogare, vel, ut eſt in loco parallelo Marc. 2: 10., ἀφιέναι ἁμαρτίαν, *peccata remittere* (ſiquidem ἄφεσις ἁμαρτιῶν, *remiſſio peccatorum* omne ſacrificium pro peccato excludit, Hebr. 10: 18.) quod ſolius & *unius Dei* erat, ibidem v. 7. Hæc enim eis demonſtrabat, dum 1. *hominem* illum, qui *trigeſimum octavum annum egerat in infirmitate ſua*, & nunc *aquæ motum exſpectabat*, v. 3. 5. referentem Judæos, diuturna quidem virium defectione languentes, attamen conſolationem Iſraëlis exſpectantes, hâc ſolà voce ſanabat, ἔγειραι καὶ περιπάτει, *ſurge & ambula*, v. 5. q. d. Reſurge ex mortuis & primùm ad Iudæos incredulos, ac deinde etiam ad gentes, abi, eisque annuntia, quâ virtute revixeris, vide v. 15. & confer Marc. 2: 9. 11. & c 5: 41 42. Dumque 2. voci illi divinæ hoc insereret mandatum, ἆρον τὸ κράββατόν σου, *Attolle Grabbatum tuum*, d. v. 8. q. d. Sabbatum, hoc *grabbato* figuratum, quod hactenus veſtræ ἀσθενείας

im-

*impotentiæ* evidens fuit documentum, nunc, redintegratis viribus, converte in trophæum, eoque loco ſuo moto, &, ab ultimo die hebdomadis, in primum translato, (in argumentum μεταθέσεως νόμου, *mutationis legis*, Hebr. 7: 12.) de priſtina ſervitute triumpha, atque in parta libertate gloriare.

Ad utrumque enim hoc miraculum, alterum Patris, Filii alterum, reſpicit Servator, cum v. 17. dicit, *Pater meus* ἕως ἄρτι *hucusque operatur, & ego operor.* q. d. Pater meus opus redemptionis hactenus multis vicibus & modis præfiguravit, Hebr. 1: 1. & inter alia hoc opere, quo, miſſo certis temporibus Angelo, aquam in balneo Betheſdæ movente, eum, qui primus, poſt commotionem, ingrederetur, ſanabat. Ego vero, antequam præfiguratum à Patre redemptionis opus exſequar, ſanatione infirmi illius, idem figurante, demonſtro me eſſe Filium Dei & Dominum Sabbati, qui & mortuos Iudæos (Matth. 8: 22. Eph. 2: 5.) ſolius virtute vocis meæ revocatum in vitam, & Sabbatum, totamque adeo legem, ſolutum veni, ut illi, ſic vitæ reſtituti, ad gentes eant, easque ad libertatis ſuæ communionem vocent. Quemadmodum ipſe utrumque miraculum v. 24. exponit, inquiens: *Amen, amen dico vobis*, (q. d. Ego, qui ſum ὁ ἀμὴν, ipſa *veritas*, Ieſ. 65: 16. Apoc. 3: 14. quique veritatem præſto, ſeu promisſiones Patris impleo, partim per me ipſum, partim

tim per Spiritum meum, λέγω ὑμῖν, *dico vobis*, tanquam ὁ λόγος τῆς ζωῆς, *Sermo vitæ*) *qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me*, (h. e. qui obedit evangelio meo ſeu veritati meæ, quia credit promiſſioni Patris mei, atque ita, à Patre doctus tractusque, ad me venit Joh. 6: 44. 45.) *habet vitam æternam* (vitæ temporali, in lege promiſſæ, oppoſitam, Tit. 1: 2.) *nec venit in condemnationem* (ab omni legis accuſatione & condemnatione abſolutus Rom 5: 1.). ſed *tranſiit à morte in vitam*, perinde atque aquâ Bethesdæ motâ lotus, & inprimis infirmus ille, à me ſanatus, qui, cum antea longum tempus in grabato eum infirmitatis ſuæ, mortis, & cauſæ ejus, peccati, continuo commonefaciente, arguente, accuſante) decubuiſſet, tanquam mortuus, nunc, eo ſublato, ambulat, ut redivivus. Hinc itaque conſtat, ſicut per miracula illa vivificatio & reſurrectio Judæorum, non corporalis, ſed ſpiritualis, adumbrata fuerat, ita quoque Servatorem in ſermone hoc exegetico de hac duntaxat verba facere.

Neque vero diverſi generis eſt vivificatio & reſurrectio gentium, quam Servator, eodem ſermone cum illa, velut individuam illius conſectatricem, copulat. Sicut etiam aliqua hujus ſignificatio facta erat in ipſa miraculorum illorum narratione, veluti verbis v. 4. qui πρῶτος, *primus* ingreſ-

ſus

ſus erat *poſt aquæ turbationem*, & v. 7. ἄλλος, *alius ante me deſcendit*: quatenus futurum erat ut multi ultimi eſſent primi, Matth. 19: 30. 20: 16. & *alii*, h. e. alienigenæ, ut Matth. 20: 3. 6., Judæos anteverterent, Matth. 21: 31. Eph. 2: 17. De hac vivificatione gentium ſpirituali, ceu vivificationi ſpirituali Judæorum ſuccedanea, ait ipſe v. 20. *Pater amat Filium: & omnia monſtrat ei, quæ ipſe facit, & opera illis majora monſtrabit ei, ut vos miremini.* Quod tunc futurum erat, cum Pater, qui non tantum vivificationem Judæorum, ſed etiam vivificationem gentium, præmonſtraverat, (utpote *cui omnia opera ſua nota erant* ἀπ' αἰῶνος, *à ſeculo*, Act. 15. 18. h. e. qui vocationem & vivificationem gentium, quæ erant opus manuum ejus, Jeſ. 29: 23. & 45: 11. coll. c. 10: 25. 60: 21. præcognoverat, prænuntiaverat, præfiguraverat, inde à Seculo Veteris Teſtamenti per Moſen & Prophetas, ibid. v. 15. 21. coll. Luc. 1: 70. Act. 3: 18.) hanc quoque Filio monſtraturus erat, ut ille eam efficeret ſecundum præfinitionem & præſcriptum Patris: idque tùm in honorem Filii, cui, præ amore, omnia dederat in manum, c. 3: 35. quærens ipſius honorem; v. 23. c. 8: 50. tùm in ſtuporem Judæorum contumacium, vid. Act. 13: 41. Propterea enim v. 21. 23. addit, *ſicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat. Nec enim Pater judicat quenquam, ſed omne*

*judicium dedit Filio, ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem.* Pater pridem ſuſcitaverat mortuos & vivificaverat, idque fecerat hactenus, & adhuc faciebat. Pater *pridem ſuſcitaverat mortuos & vivificaverat*, veluti cum Iſraëlem, Duce & auſpice Angelo fœderis, ex Ægypto, tanquam ex Sepulchro, eductum, latâ lege fœderali, vivificaverat, in typum, fore ut olim populus Dei ſimiliter, Chriſto ἀρχηγῷ τῆς σωτηρίας, *auctore ſalutis*, ex ſervitute peccati & legis eductus, lege Dei cordibus inſcriptâ, vivificaretur. *Idem hactenus ſuſcitaverat mortuos & vivificaverat*, (ut *qui operaretur hucusque* v. 19.) veluti cum priori illo miraculo hucusque præluſerat ſuſcitationi & vivificationi Judæorum, h.e. liberationi eorum à ſervitute Legis & aſſertioni in libertatem regni Dei. *Idem hoc ipſum etiamnum faciebat*, veluti cum poſteriore miraculo (ſicut etiam evocatione Lazari è ſepulchro ejusque dimittendi mandato c. 11 : 44. & aliis ſignis, per Chriſtum editis) eidem rei adhuc præludebat. Nec minus ille vivificationi gentium quoque & præluſerat hactenus, & adhuc præludebat. Filius autem huic præludio Patris *luſu ſuo in orbe habitabili* (Prov. 8 : 31, examuſſim reſpondebat, opus Patris typicum opere ſuo vero conſummans, dum, ad ſimilitudinem ejus, *vivificabat quos volebat*, h.e. ſolos electos & fideles cùm ex Judæis tùm ex gentibus, quos amabat, vivificabat per Spiritum vitæ in omnem carnem effuſum (eſt enim in his τεί-

λυψις) incredulis, quos oderat, in morte relictis. Quod erat Judicii, Filio competentis. Siquidem Pater Filio, ex mortuis ſuſcitato, *dederat omne judicium*, h. e. ut dixi, judicium in omnes, *ut omnes honorarent Filium*, *ſicut honorant Patrem*, h. e. ut Deum, ceu veracem, celebrarent, utpote qui nunc vitam mundi, quam promiſerat, per Filium ſuum & Spiritum ejus præſtiterat, judicatis per eundem incredulis.

Quoniam vero illa gentium vivificatio, una cum adjuncto judicio, inſtitui debebat, ſecundum Prophetias, non tantum in primordio Novi T., ſed etiam, ac præſertim, tempore ultimo; cum Dominus Antichriſto cunctisque Eccleſiæ hoſtibus judicatis, vivificabit omnes gentes (quæ erit illa *vita ex mortuis* Rom. 11: 15.) propterea ipſe verſ. 25. & verſibus 28. 29. utramque illam vivificationem gentium, & annexum utrique judicium, diſtincte, velut *opera*, operi vivificationis Judæorum convenientia quidem, attamen eo *majora*, prænuntiat. Sed, an ergo, inquies, hic excluditur reſurrectio corporum? Reſpondeo: nequaquam. Siquidem corporalis reſurrectio, ut certa & indubia ſupponitur, cum illius emblemate reſurrectio ſpiritualis adumbratur. Prout fit tùm locis allegatis Ezech. 37: 12. 14. Hoſ. 6: 2. & aliis, tùm etiam hoc loco, & parallelo illo Marc. 2: 10. 11. Ubi ad reſurrectionem corporalem al-

ſuditur verbis ἔγειραι --- καὶ ἐγέρθη εὐθέως; *ſurge --- & ſtatim ſurrexit.* Pro quibus hic v. 8. 9. eſt ἔγειραι --- καὶ εὐθέως ἐγένετο ὑγιὴς, *ſurge --- & ſtatim factus eſt ſanus:* quoniam ζῶν, *vivus* & ὑγιὴς, *ſanus*, ſicut etiam ζωὴ, *vita*, & ὑγίεια, *ſanitas*, apud Helleniſtas æquivalent. Gen. 43:27. 28. Lev. 13: 15. 16. Ezech. 38: 21. & Gen. 42: 15. 16. Umbra autem minor eſt re adumbratâ. Itaque qui majus dedit, id quod minus eſt non denegabit: qui Spiritus, mortuos in peccatis, vivificavit, corpora, peccatis demortua, in poteſtate mortis non relinquet. Quorum enim *Spiritus vita eſt propter juſtitiam*, eorum quoque *corpus*, licet *mortuum propter peccatum*, ut illud exuat, tamen, propter eandem juſtitiam, ſine peccato vivificabitur, Rom. 8: 10. 11. Cœterum hæc doctrina, non hic, ſed alibi, diſerte & abunde docetur.

Hæc mea verſuum 19 - 22. explicatio Tibi, Reverende Vir, fortaſſe parum arridebit. Sed ſcito illorum & antecedentium συνέχειαν eam mihi expreſſiſſe. Quoniam enim Servator his verſibus declarat, quod dixerat v. 17., atque eo verſu ipſe indubie reſpicit ad geminum illud ſignum; v. 2 - 8 oportet hi quoque verſus eodem ſpectent. Quod etiam patet ex v. 20. ubi ipſe dicit: *Pater Filio monſtrabit opera illis majora.* Quibus autem? illis utique quæ Pater ei monſtraverat per bina illa miracula.

Nam

Nam & poſterius, licet editum à Filio, nihilominus Patris erat, quatenus eo, non exhibebatur, ſed præmonſtrabatur, ſanatio Judæorum infirmorum, eorumve mortuorum vivificatio, jamjam per Filium exhibenda. Nam Patre ita præmonſtrante, *Filius viderat Patrem facientem* hoc ipſum, quod *ipſe jamjam facturus erat ſimiliter*, v. 19. cum ipſe eam vivificationem Judæorum effecturus erat, impetrato eis per mortem & reſurrectionem ſuam Spiritu vitæ. Quænam vero ſunt *opera illa bis majora?* opera videlicet duplicis gentium vivificationis, primæ & poſtremæ. Cui poſtremæ innexa erit Judæorum vivificatio. Nam reſurrectio Filii ipſius hic, velut illorum operum fundamentum, ſubſternitur, &, ut jam facta, ſupponitur, v. 25. 26. Dabam Groningæ ſeptimo Iduum Junii, 1718.

## III.

# Prodigioſa ſalus Hiskiæ ex Deo, per Eſaiam prænunciata, 2. Reg. XX. 5 -- 11. Eſaiæ XXXVIII. 5, 8. (a)



(a) Anonymum hujus diſſertationis authorem conſtat nobis eſſe Virum in illuſtri quadam Germaniæ Acade-

HIskiæ Regis ægritudo, quæ morti eum reddiderat vicinum, ingentis prodigii, grandis beneficii divini luculenta erat occaſio. Uti ſerena cœleſtis gratiæ indicia, nō ante animadvertuntur, quam ubi iræ divinæ ſenſus cœlū prius obnubilavit, ut dubia aut nulla ſpes videatur eſſe ſalutis. Tum demum dulce auxilium, quando amara præivit adverſitas. Non capimus opem, niſi inopes & præſidii expertes nos ſenſerimus. Ante igitur prodigio & ſingulari Dei præſidio locus non eſt, quam ubi calamitati & moleſtiæ locus fuit. Quo dirior & immanior adverſitatis truculentia, eo prodigioſior & admirabilior auxilii benignitas. Nullum prodigioſum auxilium ſine prodigioſo periculo.

Unde eſt, quod nec intelligat prodigium, pro alterius ſalute divinâ manu editum, niſi qui & ipſe prodigioſe vexatus & prodigioſe liberatus. Rectius cupit aliena, qui ſuis ſentit ſimilia, Similis ſenſus non diſſimile gignit

gnit

mia florentem, ſcriptisque & eruditione, præcipue in ſacra antiquitate, famigeratiſſimum. Sed cum ei, quamvis per amicum quendam, cujus beneficio diatribe hac potiti ſumus, monito, non placuerit permittere nobis, ut nomen ejus exprimeremus, morem illi gerere fas fuit. Quod vero diſputatæ arcem cauſſæ attinet, illius arbitrium & examen æquo Lectori permittimus. F. A. L.

gnit judicium. Par experientia parem parit peritiam. Difficilis ſententia de re ignota. Quotidiana effatu facilia. Nec Hiskias prodigioſam ſalutem agnoviſſet, niſi prodigioſo carbunculo uſtus, morti fuiſſet proximus. Cujus peſtilentialis ulceris æſtus eum exederat adeo, ut jam jam conflagrare ſibi videretur. Facilis ex caſtris hoſtium vicinis, qui Hieroſolymam obſidebant, in urbem irrepſerat contagio, ut nec ipſe Rex, animi ægritudine ſatis jam emaciatus, quin inficeretur, evaderet. Quamobrem Eſaias, nuncio hoc accepto, primùm maturare ſuaſit rerum civilium de regno diſpoſitionem, cum carbunculus cineres jam oſtentaret. Idque divinâ providentiâ factum, ut qui mox eſſet ſervandus, divini beneficii magnitudinem agnoſceret poſtea tanto melius, quanto vitæ finem viderat propius. Uti non agnoſcimus Dei beneficia, niſi illo nos indiguiſſe meminerimus. Quo dirius fatum, eo carius auxilium. Sic morti proximus Hiskias, cum lethale eſſe ulcus, & Eſaiæ & Dei effato, ſentiret, in lachrymas ſolutus, Dei manum prius irrigare, mitigare, effectumque ejus emollire conatus, quam ulceris incendio extinguendo medicinam quærere. Flebilis profecto Hiskiæ oratio, & tam lachrymoſa, ut non fuiſſet mirum vel his undis omnem ulceris flammam fuiſſe extinctam. Certe, iræ divinæ, & flammantis ad necem ſententiæ, æſtum temperavit,

cœleſti incendio hic fluminibus affuſis. Quare divino inſtinctu Eſaias lætum Hiſkiæ nuncium afferre juſſus: Deum precibus Hiskiæ motum, lachrymis mollitum, animum & ſententiam in ſalutem Hiskiæ commutaſſe: *Audivi*, inquit Deus per Eſaiam, *preces tuas, vidi tuas lachrymas! Age, ſanitati te reddam.* Dulcis hæc & inſperata promisſio. Salus nunciata ubi deſperata ſalus: Sanitas indicta ubi nullius ſpei ſenſus. Sat grande hoc beneficium, ſpes incolumitatis. Deſiderio factum ſatis. Veruntamen in tanta mortis vehementia, in difficili ſpei ſenſu, fidem Hiskiæ ſuſcitare, & ex fiducia in Deum poſita morbi vim frangere, ſummopere Deo viſum neceſſarium. Quamobrem melioris promisſioni valetudinis, & rediturae ſalutis nuncio, ne morbi diuturnior metus mortis periculum videretur augere, divinæ gratiæ teſſera addita, qui *brevi* eſſet ſanandus. Quæ *vicinæ* ſalutis pollicitatio nondum ſuffecit; quæ dubium adhuc & anxium vel ſollicitum Hiskiam reliquiſſet. Spei magnitudinem *determinatum brevisſimum tempus* vehementer auxit, *triduo* ipſum convaliturum. Sed & *tridui maturimum tempus* novo amœnisſimo ſpei argumento roboratum: Qui *tertio die in templum Dei aſcenſurus eſſet.* Hoc prorſus mirabile. Non convaleſcere ſolum triduo, ſed ita ut foras prodire, in publicum venire conſpectum, imo in templum ipſum tertio ſtatim die commeare, ac Deo publice

blice gratias agero ſanus ac ſalvus poſſet; incredibile viſum. Triduo ſic reſtitui, ut & *tertio die in templum aſcendere poſſit.* Hi ſcrupuli vehementius Hiskiam inter ſpem metumque urere deprehenſi, quam carbunculi æſtus. Tam maturæ, tam vicinæ & tam integræ ſanitatis ſpes, animum Regis refocillare quidem viſa, verum necis terminus vicinior, exitus propior creditus. Spem morbi difficultas extinguere animadverſa. Quod tantâ *celeritate*, tantâ *temporis brevitate*, tantâ *inſuetâ & incredibili ſanitatis feſtinatione* citius ipſa incolumitatis ſpes videretur extingui & abſorberi. Quare aucta amplius divinitus non ſolum propinquæ ſanitatis, ſed & *diuturnioris vitæ* indubia ſpes, *qui quindecim adhuc annis eſſet victurus.* Quod autem & longioris vitæ ſpem aut deſiderium meritò abſorberet *metus ab Aſſyrio hoſte, Hieroſolymam obſidente*, qui citius urbem occupaturus, quam ſanitati Rex reſtitutus, quique & vitam Regis extincturus prius, quam morbi violentia. *Et hoc divinæ gratiæ* acceſſit *incrementum: Liberatum quoque iri Regem, urbem, e manibus Aſſyriorum, obſidione ſolutâ, & hoſtibus profligatis.* Cui luculentiſſimæ locupletiſſimæque divinæ promisſioni additum pondus *ex veritate & benignitate Dei*: Qui pro vero ſui cultu, quem Hiskias reſtauraſſet & David inſtituiſſet, per Hiskiam porro ſervando, Hiskiam eſſet ſervaturus. *Propter me*, inquiebat, *& propter ſervum meum David.* Quod

validum promiſſionis ſignaculum, robur infractum. Ne quid porro tam ſubitæ ſalutis ſpei videretur obſtare, nec animum prius abjiceret Rex, quam vitam relinqueret, additum externum in morbo remedium, *emplaſtrum ex ficubus, vel indicis Dudaim alias dictis factum, quo carbunculus obligandus*, ac emolliendus aut ſolvendus. Cui pro ſalutis cupidine *ſine mora obtemperatum*: Cœterum tam locuples, tam ampla, *tam auguſta*, ſalutis & ſuæ & regni & regiæ facta *ſpes* nimia *in tanta omnium rerum anguſtia viſa*, quam æger animus in ægro corpore vix ac ne vix quidem caperet. Quare de primo ſtatim divinæ abundantiſſimæ pollicitationis momento, *de tam cita, tam feſtina, tam propera, intra triduum*, imo intra biduum, *ſui reſtitutione, ut templum poſſet conſcendere* ſollicitus ante omnia Rex, animi ægritudinem, corporis imbecillitate majorem vati expoſuit. Nec enim quid in pectore arderet, diſſimilare poterat, qui foris corpore flagraret. Cum animus ex corpore multum, imo plurimum trahat; maxime cum hoſtiles machinæ præter morbum, pectus & intima animi viſcera obſiderent. Incendium igitur pectoris à Rege vati detectum, qui *ambigeret* non nihil *de tam propinqua*, intra triduum *valetudine, eaque tanta ut templum poſſet conſcendere*. Promiſerat namque Propheta Dei nomine, in oraculi exordio: *Ego te ſanabo*, die tertio תעלה *aſcendes in templum*. Hoc Regi credi-

ditu difficile, hoc vix poſſibile, liberari à morbo *tam ſubito*, ut cum totum corpus igne febrili ambeſum, exhauſtum, enervatum; ut nec manus, nec pedes officium facerent, tantas vires biduo redire, *ut tertio die conſcendere in montem, in templum, ſuſtineret.* Nec mirum profecto Regem hic hæſiſſe, ubi tota hæreat & ſana ratio, repugnet ſenſus, contradicat quotidiana experientia. Difficillima fides in tanta rerum difficultate. Quidni igitur Rex, quod homo eſſet, & afflictiſſimus eſſet, quod undiquaque obſideretur nec exitum videret, quidni inquam, in tanta anguſtia, de tam auguſto oraculo, & rectiſſima illa ſui valetudine promiſſa hæſitaret? Quidni vati novam hanc pectoris anxietatem explicaret? Quidni novum in pectore morbum, animi fluctuationem ſubindicaret? Quod fecit, ſine hæſitatione vati animum hæſitabundum aperiens: *Quid*, inquit, *ſigni*, *me iri ſanatum divina manu*, & quod majus *me aſcenſurum tertio abhinc die in domum Dei?* Quæ interrogatio vehementis dubitationis teſſera. Nec quæſtio, ſed *dubitatio, congeſtio imo querimonia.* Non tam quæſivit indicium, quam nullum ejus rei, & vitæ ſanitatis apparere veſtigium, conqueſtus. *Anxii animi verba*, qui pro ſenſuum judicio, id potius expectandum crederet, quod coram animadverteret, quam quod dubio fato expectaret. Neque adeo externum quoddam poſtulavit ſignum, *ſed indicium & argumen-*

*mentum reſtituendæ ſanitatis adeſſe*, aut animadverti, *nullum doluit. Quid*, inquit, hic indicii, quid ſigni, quid argumenti? *Nullum ſentio indicium meæ reſtitutionis*, multo minus *tam citæ, tam properantis, tam propinquæ*, intra biduum, ut tertio die ſanus ego conſcendam in templum: Ich finde nicht das allergeringſte Zeichen / inquimus, meiner ſo baldigen Geneſung. *Aſcenſus in templum* ex regia domo, ubi decumberet, tertio, proximoque adeo die, non videbatur credibilis, non poſſibilis. Cui contradiceret infirmitas, reſiſterent pedes enervati, quos *ex regia domo ſurſum in templum per ſuetos longos gradus attollere*, difficillimum fore, argueret lectus, in quo vix pedem movere potis eſſet. *Tertio abhinc die totum*, inquit, *corpus ſanum & vegetum ſurſum in templum deferam*, qui nunc nec pedes in lecto ſentiam, nec inde compromoveam? vah, ait, quis mente comprehendat? Egone aſcendam עליתי *ego altos illos e regia in templum gradus tertio ſtatim die repetam* qui ne pedem nunc moveam? Arcis regiæ ſitus *& viam pandit*, & *difficultatem ſcandendi* vel aſcendendi urget, *quando e regia in vicinum celſius templum tranſeundum*. In edito urbis Hieroſolymæ & cæteris celſiore colle, ut *intra mœnia* inter alios ſitus montes aut monticulos, *mons Moria* caput efferebat. Inter plures inquam alios intra urbis ſepta colliculos, & prominentes petras, aggeribus onuſtas eminebat *Moriæ montis gloria*. Hæc

tem-

templi auguſtisſimi *ſedes*, hæc *domus Dei* præfulgida, *in cacumine montis* poſita, non ſolum totius urbis, ſed & vicinorum agrorum, & oppidorum oculos perſtrinxit. Quæ *ſancti montis celſitudo* tanta, ut mille prope ulnarum altitudinem ſuperaret. Quæ ingens *montis religioſi altitudo* effecit, ut ab omni prope urbis & montis plaga *pro aditu ad templum in monte excelſum*, מעלות *gradus* eſſent parati, per quos *aſcenderetur*, ſi qui templum conſcenſuri. Qui *gradus* ab omni templi aut montis latere ad portas in ſuperiori templi baſi commeantes duxere. Quales *excelſæ portæ* ad extima templi atria plures imo in ipſo monte, ſi quis atrium exterius, gentium dictum, commune, ſpatioſisſimum, jam eſſet ingreſſus, ultra progreſſurus intra templi ſepta interiora teneretur porro per מעלות *gradus*, in altius atrium, e. g. Iſraëlitarum, ferri. Et ex atrio Iſraëlitarum, in atrium ſacerdotum porro per ſuos *gradus* מעלות erat aſcendendum, cum interius hoc atrium celſius reliquis ambientibus. Et ulterius ex atrio ſacerdotum in ſanctuarium *gradus* מעלות viam dabant; quod ſanctuarium verticem montis occuparet, longe lateque per urbem & vicinas regiones, in auri fulgore conſpiciendum. Quos varios in ambitu templi per atria, imo & ad conclavia in atriis, ad illuſtre conſiſtorium, *gradus* מעלות *Talmudici, Maimonides*, & univerſi, veteres ac recen-

tio-

tiores, Judæi & Chriſtiani, curati templi effigiatores, hiſtorici ſolertes, affabre delinearunt. Quæ graduum multitudo, celſitudo, elegantia, magnum templo conciliavit decus. In vicinia montis hujus ſacri, ad Aquilonem, *juxta angulum* montis Moriæ & templi *occidentalem & aquilonarem*, ſitus erat *collis paulo declivior*, *mons Zion* ita *ut inter Montem Moriæ*, in quo templum poſitum, & *montem Zion* vallis intercederet, qua illi montes diviſi. Quam in rem, contra vulgi opinionem exaſciate & exacte videatur Lightfoot, antiquitatum reſtaurator ſagaciſſimus, Choragio in Matth. c. XXII. XXIII. p. 46, 47, 48. Hic mons Zion caſtellum, *regiamque* dedit ſedem, Davidi, Salomoni & omnibus poſteris. In hoc colle, templo vicino ad aquilonem, verſus occidentem, Salomo regiam plus quam regiam magnificentiſſimo ſplendore ſuſcitavit. In monte Moria Dei, in monte Zion Regis domus & curia: Ibi Dei, hic Regis amphitheatrum utrumque omni ſplendore majus: Hoc diſcrimine, *quod illud celſius*, *celſiori in monte Moria* collocatum, *hoc in humiliori paulum colle*, ſed proximo tamen Zion extractum. Vicinæ Dei & Regis ſedes. Contiguæ nec niſi vallis umbra diviſæ. Quandoquidem igitur Regis erat Deum colere, ut ſubditorum Regem; Regis erat in domo Dei facere, hujus, cœli & terræ conditoris gratiam aucupari.

Tem-

*Templum frequentare Regis erat, templum conſcendere* Regis erat. Quod ſacrum officium pene quotidianum, religioſum, arduum, magnum ac venerabile, Salomoni, primo utriusque arcis in utroque monte autori, anſam dedit, pro ipſius ſapientia, ad evitandos longos viarum ex arce & monte Zion ad templum per oppidum anfractus, *viam ex arce ſua & monte Zion ad templum* in monte Moria, brevem apparandi. Quod enim *inter Dei & Regis domicilia*, in utroque monte, Moria & Zion, non niſi vallis intercederet, qua diſtinguerentur, ſapientisſimo architecto Salomoni placuit, *gradus ſeu pontem aggerem aſcendentem* מעלה העולה ex humiliore monte Zion in editiorem montem Moriæ apparare; 1. Chron. XXVI, 16. 18. *ut montes gemini*, vicini, magnificæ domus, regiæ ſedes valle diſtinctæ, *gradibus conjungerentur*, ponte valli injecto. Quod magnifico opere ſplendide confecit Salomo מסעד לבית ה ולבית המלך ut per *gradus ex monte ſuo arceve* ſua Zion, *in montem Dei* vicinum commode via brevisſima *aſcendere* quiret. Cujus ſtructuræ, viæ pontis, *graduumve* aut ambulacri *decorem pretiumve* quod ex ligno præſtantisſimo columnæ, & parietes, ad evitandum præcipitium conſtarent, admirata valde Regina Sabæ. Stupuit עליתו אשר יעלה בית יהוה *gradus quibus aſcenderet Rex in domum Dei* 2. Chron. IX, 4. Lundio, qui gradus iſtos ne-

mobiles, regios, Operis sui P. I, c. XXIIX,
f. 371. ſollicite, alienis licet oculis, con-
templatus, regina Sabæ, non niſi oculorum
errorem exprobraret, qui alios antiquæ rei
imperitos ſecutus, ſitum arcis Zion, adeo-
que & horum *graduum*, a Boreali plaga ad
auſtralem tranſtulerat: Lightfooto arriſura,
qui cum arce Zion illam viam *graduumve* ſe-
riem quam ipſa cum Salomone e regia in tem-
plum ſcandendo calcaſſet, ſuo loco reſti-
tuiſſet. Hic itaque *gradus ad Boream e regia
Zion in templum Moriæ*, regius aditus, regius
conſcenſus, regia via excelluerunt, ad Acha-
ſi usque tempora. Omnes a Salomone Re-
ges hac via, *per hos ad Aquilonem gradus* e re-
gia ſua in baſilicam divinam commearant, do-
nec Achas, qui *his gradibus Salomoneis* ſem-
per uſus, ab adventante Aſſyriorum Rege
ſibi metueret, bello ab Iſraëlitis impetitus,
Aſſyrio in auxilium vocato. Qua occaſione
Achas, divini præſidii immemor, Regis Aſ-
ſyriorum vim & injuriam pertimeſcens, ne
qua, Hieroſolymam penetrans e templo, *per
gradus illos Salomoneos, quibus e regia in tem-
plum aſcendebatur*, in regiam ſedem deſcen-
deret, e vicino monte Moria in ſuam Zionis
arcem, illos *gradus aut aditum regium exte-
riorem* מבוא המלך החיצונה removit, ut val-
le iterum disjungerentur priſtino hiatu, mons
Moria & mons Zion, templum & curia Re-
gis. Sic Achas vallem aperuit, inter tem-
plum

plum & arcem, quam aggere ſeu *gradibus* aut ponte aſcendente obſtruxerat Salomo. *Gradus* avorum ad Deum removit, ne gradus pateret hoſti. 2. Reg. XVI. 18. Metus Achaſi ſuſtulit quos gloria Salomonis ſuſcitaverat. Dein Rege Aſſyrio Hieroſolymam non invadente, nec eo usque penetrante, cui in Damaſco ſupplex factus Achas, adeoque metu in exilium acto, damni pœnitentia, viæ ex arce ad templum compendium, & breviſſimâ viâ illuc conſcendendi commoditas, *deſtructos nuper gradus reſuſcitare ſuaſerunt*. Sive autem Achas priſtinam proavi Salomonis formam *in reſtauratis a ſe illis gradibus regiis* revocaverit, ſive pro ſuo arbitrio, & vel commodius, aut pro tollendis illis ſimili metu ingruente, aptius inſtruxerit ac mutaverit, perinde fuit. Qui templum Damaſco reverſus, male reformaverat, veteribus rebus mutatis, & *gradus illos* pro ſuo ingenio iterum compoſuiſſe videbitur. Sufficit, *gradus reſtituerit per quos e ſua regia in templum*, via priſtina, perbrevi & compendioſa, *aſcenderet*, quoties & idololatriæ ſuæ in templo ſervire animus eſſet. *Reſtituit*, qui ad idola ſua ex regia ſua in templum commeavit. Sic *Achas*, Salomonis *gradibus deſtructis*, *ſuos ſubſtituit*. Illi *Salomonei gradus fuerunt*, hi *Achaſi erant*. Illi ampliſſimi, hi breviores, pro breviore via. Hi proinde *novi ab Achaſo reſuſcitati gradus regii*, a ſucceſ-

ſoribus & nepotibus ſervati. Per hos itaque novos *Achaſi parentis gradus*, *filius Hiskias more majorum in templum conſcenderat*, dum templum ſuperioribus annis, a morte parentis Achaſi, perpurgaverat, reformaverat, remotis idolis, revocatis veris & legitimis ſacris, illuc ad ſolennisſimum Paſcha finitimis Iſraëlitis vocatis. Hanc avorum ad Deum ad Dei domum *viam*, *hos ad Dei ſedem ex ſua ſede gradus*, ab Achaſo reparatos *calcaverat Hiskias* millies tot annis, Deo devotisſimus, *in templo frequentisſimus*. Maxime iſthoc anno, ſibi & regno viſo exitiali, quando jugo Aſſyriorum miſſo, libertatem ſui & regni interitum redimere videretur, Eſa. XXXVII, 15, 16. ſeqq. Obſeſſus igitur ab Aſſyrio Sancheribo, hoſte feroci & truculento, cum templum *quotidie* frequentaſſet illos *in templum gradus toties ſcandendo*, morbô, inter metum & pericula, vi & injuria, in cubiculo, in regia ſua, in monte Zion permanere juſſus, lecto affixus, ab illa *in templum via ordinaria*, tota, fauſta, ſalutari abſtinere coactus. Sic carbunculo infeſtatus, carbones ſacros in ara non vidit, ulceris æſtu uſtus, ignem ſacrum in Templo non conſpexerit. *Non aſcendit* pro more ac ſua devotione *in domum Dei*, domi ſuæ ſtrato injectus. *Optavit aſcendere*, ſed ad gradus non admiſit peſtilentialis ulceris truculentia. Qui deſcenderat e templo, conſcenderat in le-

tha-

thalem lectum, *gradus illos repetiturum & ad templum iterum aſcenſurum, dubitabat.* Ita ſuæ religioſitatis exitum cum vitæ fine deplorabat. Videatur in hanc graduum ſignificationem Uſſerius Annal, fol. 57. Non negligenda eſt, hiſce (Chaldæo Paraphraſte & Hieronymo) antiquior longe interpretatio græca, quæ βαθμῶν καὶ ἀναβαθμῶν vocibus hic uſurpatis non alios *quam ſcalarum ab Achaſo extructarum* gradus in hiſtoria hac accipiendos eſſe innuit, cum ante captivitatem Babylonicam horarum uſum apud Hebræos acceptum fuiſſe, oſtendi non posſit: Et Gnomonis horarii inventionem poſterioribus Græcis, Anaximandro vel Anaximeni attribuant alii, quod tamen a Babyloniis illos accepiſſe confirmat Herodoti ille locus L. 2, c. 109. πόλον καὶ γνώμονα καὶ τὰ δώδεκα μέρεα τῆς ἡμέρας παρὰ Βαβυλώνων ἔμαθον ἕλληνες, Polum & Gnomonem duodecim diei partes, a Babyloniis Græci didicerunt.

Quando igitur Iſaias Dei nomine & nutu Regi vitam pollicitus, & maturisſimam biduo ſalutem, qui tertio die, priſtino ſuo more, per *ſuetos illos ex arce ſua gradus in templum eſſet aſcenſurus*, Deo devotus ſacra facturus, cum de *tam propinquo in templum reditu* adeoque ſanitate tam vicina & facili triſtis ſubdubitaret Rex, *Propheta certiorem Regem facit de feliciſſimo illo & propinquiſſimo morbi exitu, ut tertio die ſalvus aſcenderet in templum*

v. 9. *Hoc*, inquit Propheta, *habeto ſignum*, *vel indicium* a Deo, te tertio die omnino e lecto reſurrecturum, & in templum aſcenſurum, *quod Deus certo hoc quod promiſit ſit præſtiturus* : *En deſcendit jam umbra per decem gradus* מעלות: Scis, ait, diem jam inclinare in veſperam, umbram Solis profunde deſcendiſſe, per longos nempe *ambulacri gradus*. Quam rem, tanquam apertam, Regi primum in memoriam revocat Propheta, utpote ex quotidiano uſu, *circa meridiem*, ad occaſum Solis omnibus & ipſi Regi notum. Scilicet *ambulacrum illud regium*, *gradus regii*, nuper Salomonis, dein Achaſi, *qui ducerent e monte Zion in montem Moria*, verſus Boream & occidentem, in angulo templi erant ſiti, ut ex ſuperioribus liquet. *Hi gradus*, hi aſcenſus *ex arce Zion in templum* montis Moriæ, Eſaiæ in hoc cum Rege colloquio in mente ſemper & oculis. Quando enim tota oratio, *totumve oraculum* divinum manifeſte agebat *de proximo Regis reſtituti in templum tertio die per illos aſcenſu*, quem Propheta expreſſe pollicitus : die tertio עלית *aſcendes in templum*; Quando & Rex *de eodem ex arce in templum per eosdem gradus aſcenſu dubitaverat*, Non video me *aſcenſurum*, inquiens כי עליתי *in templum Domini tam cito*, *tertio die*; *Iidem* omnino in ulteriori hac Eſaiæ oratione ac inſigni determinatione intelliguntur *gradus* מעלות, de quibus *gradibus* longe antecedenti ſermone

con-

continuo locuti Eſaias & Hiskias, ſcilicet *per quos Hiskias* ſanus *tertio die* more ſolito *iterum aſcenderet in templum.* Plane memoria careat, qui, ubi de umbra in gradibus hic agi videt, immemor ſit illorummet *graduum*, de quibus jamjam, aperte & palam ſerio diſſerunt Rex & Propheta. Hic jam jam dixerat: עלית, *aſcendes, aſcendes in templum*; ille jamjam reſponderat: Unde cognoſcam quod עליתי iterum *aſcenſurus, aſcenſurus* in tam brevi tempore *in templum Domini? De* gradibus in templum ſermo fuerat, *de iisdem porro* ſermo eſt. Signum ergo Propheta proximæ valetudinis *in iisdem gradibus* definit, de quibus loquebantur, *per quos antehac Rex aſcenderat in templum*, & die abhinc tertio *aſcenſurus erat*, ſanus & ſoſpes. *In his gradibus*, in *hoc regio ex arce in templum aſcenſu*, ſignum determinat *proximæ valetudinis*, *Regem per illos gradus tertio die aſcenſurum in Dei domum.* Non congruentius, non concinnius, non animoſius, non clarius, non memorabilius *ſignum* petere ubicunque potuiſſet Eſaias, quam *in his gradibus*, *de quibus diſputaverant*, &, *an per illos tertio die eſſet aſcendendum*, *ſollicite quæſiverant.* Ipſa hæc erat diſputationis materia, totus prodigii ſcopus, *hos gradus*, *e regia domo in Dei domum*, *tertio die a Rege eſſe calcandos*, per hos Regi iterum eſſe commeandum, ut quotidie ante morbum conſu verat. Signum itaque *illo* in *loco deſignat, de quo*

*erat ſermo in gradibus*, quos toto ſuperiori ſermone habuerant in oculis. Tam cito neutri exciderant *gradus*, quos uterque hactenus habuerat in ore, quosque *die tertio* ſolenniſſime, pedibus ſanis & expeditis eſſent *calcaturi*. *In hos intentus tanto animo Rex*, qui templum repetere impenſe optaret, *in hos defixus Propheta* proximum *die tertio* aditum & *aſcenſum* ex Regis voto pollicitus. Sed quæ *umbra in his gradibus in hoc aſcenſu regio?* haud obſcure hanc providebit, qui *motum Solis Hieroſolymæ juxta montem Moriæ noverit*. Scilicet templum in monte erat protenſum ab oriente in occidentem, ita, ut in editiore templi loco verſus occidentem, celſum ſanctuarii & ſplendidum ædificium emineret ac in äerem aſſurgeret. Quando igitur ſol ortus, ex oriente *Zionem* & *gradus* illos cum valle ad Boream colluſtraverat, aſſurgens poſtea in cœlo altius & in auſtrum deflectens *mons radios intercepit*, quo minus ab auſtro inferiores, verſus aquilonem montis partes, vallem, plateas, monti vicinas, mitterentur. *Ita totus mons umbram genuit*, quam, pro Sole per auſtrum ad occidentem ſenſim commeante *verſus Boream* ſenſimque verſus ortum, montive ſubjacentes aut adjacentes vicos, loco radiorum interceptorum, *conjecit*. *Quæ umbra montis verſus Boream & orientem* meridiano & veſpertino tempore apud veteres Judæorum ſcriptores perquam celebris. Quippe quod

quod ad *illam Borealem templi plagam* ſpatioſiſſima eſſet platea, quæ loco radiorum Solis, qui a monte interjacente intercipiuntur, umbram poſt meridiem referret, in æſtu gratiſſimam. In quo publico loco, velut foro, a radiis ſolaribus pomeridianis libero, quos ab auſtro miſſos mons Moria interceperat, nec ad borealem ſub monte ſitam oppidi partem permiſerat, ob temperatum æſtum, in *umbra*, celebriores Judæorum doctores, quibus magna auditorum copia, publice docere ſoliti, ut *umbræ* quoddam velut refrigerium amœnum doctoribus pararet auditorium.

Tanta *montis umbra* ad Boream, tamque *celebris*, ut in Pandectis veteribus ejus dememiniſſe non poſſint. Quemadmodum igitur totus *mons* ab auſtro ſole colluſtratus, *umbram vicinis* ſubjacentibus ad aquilonem locis & vicis dedit, ita *umbra* illa per circulum *ſenſim* ab aquilone ad auſtrum *deflexit*, prout *Sol* ab auſtro ad occaſum *declinavit*. Sicuti porro mons univerſus tantam effecit *umbram borealem*, ita vel maxime *celſiſſimum in cacumine montis ſitum ſanctuarium*, Sole per auſtrum ad occidentem decurrente, *longam ad Boream conjecit umbram*. Indeque, quia mons Zion ad Aquilonem & occidentem fuit ſitus, in quo palatium regium, neceſſario *Sol umbra celſi ſanctuarii* verſus montem Zion, *in* ambulacrum illud, ſeu *gradus illos*

*e regia in templum aſſurgentes conjecit.* Quandoquidem enim *hi gradus in montem templi* aſcendentes, eumque attingentes, *haud longe a ſanctuario diſtabant : Sol utique in auſtro poſitus*, radiis a ſanctuario celſo interceptis, *ſanctuarii umbram in gradus illos vicinos* aquilonares miſit. Et quidem porro, prout Sol vel in auſtro circa meridiem altior, vel poſt meridiem, ab auſtro ad occidentem declivis, *umbra ſenſim Solis motum eſt ſecuta*, ut quomagis ab auſtro Sol declinaret ad occidentem, umbra ad Boream fieret longior aut profundior, ſeque ab occidente, vel & Borea ad orientem verteret. Quando igitur *gradus illi* e monte Zion humiliori ad montem Moria alteriorem *ſenſim aſſurgebant, umbra pro deſcendente Sole magis magisque directa*, in gradibus etiam deſcendit, aut longius per *gradus* ad Boream & occidentem ſe diffudit, quia *in angulo templi occidentali, a Boreali plaga ad occidentalem aliquantulum inclinabant.* Sic pomeridiano tempore, Sole in auſtro, *umbra templi & ſanctuarii gradus boreales attingit*, eaque *umbra* Sole ſenſim ad occidentem vergente, ſenſim in gradibus crevit, *deſcendendo*, aut ſeſe latius diffundendo, ut ex *umbra ſanctuarii in gradibus illis regiis* borealibus, Solis in auſtro motum dignoſcere, ac quousque Sol ab occaſu abeſſet, obſervatione longa edocti, definire poſſent. Sicuti omnes quondam ex Solis ſitu, vel umbræ domorum,

ar-

arborum, turrium motu & quantitate, temporis intervalla metiri. Quod itaque tunc, cum Eſaias cum decumbente Rege *diſſereret de illis gradibus tertio die calcandis*, *umbra templi in gradibus illis* aut aſcenſu in templum regio, Sole ad occaſum ex Auſtro inclinante, *ad decimum usque gradum deſcenderat*, quod ex monte Zion ſeu arce regia Eſaiæ aliisque quibus vis obſervatu facile: *Pomeridianum* hoc circiter *tempus*, definit, tunc ſub colloquio præſens, tanquam Regi & cæteris notum, ut ſignum in eo ſumendum eſſe ſubindicet. הלך inquit, *perrexit ſeque diffudit umbra templi in gradibus illis regiis* עשר מעלות. Quod nihil aliud eſt, ac, *tempus eſſe pomeridianum certamque illam præciſe inclinantis diei circumſtantiam.* Sive gradus ambulacri eſſent totidem, nec plures quam decem, ut umbra ad finem graduum jam perveniſſet, quousque umbra templi ſe diffundere ſoleret, ſive plures ut umbræ etiam adhuc reliquum eſſet ſpatium, quod perinde. Sufficit, *umbram templi decem tunc impleviſſe pontis aut ambulacri regii gradus*, ſive *poſt meridiem illud negotium incidiſſe.*

Determinato *diei tempore*, quando de ardua & divina pollicitatione, Regis ſalvi in templum die tertio reverſuri, inter Regem & Prophetam actum, à meridie: Ad determinandum *in illa temporis circumſtantia ſignum* Regem

omnino ſalvum perendie in templum reditu-
rum quærit ex Rege: אם ישוב עשר מעלות
*Redeatne umbra hæc per decem gradus*? Credis-
ne, te *ſequenti die*, circa idem hoc *diei tempus*,
adhuc victurum? Putasne, inquit, te cras
*hoc eodem tempore* adhuc ſuperfore? Quæ in-
terrogatio eſt affirmatio gravis, aſſeveratio
vehemens, omnino futurum, ut *ſequenti die*,
*redeunte iterum umbra in eundem locum*, adhuc
ſit ſuperſtes Rex. Ex quo certus eſſe poſſit,
eum & *tertio die ſuperfuturum ſalvum* pro divino
promiſſo: Indubitatum hoc Regi eſſe debere
*ſignum ſanitatis tertio die reſtituendæ*. Vitam Re-
gis in craſtinum ſervatam, Regi *ſignum* fore
*ſanitatis perendie* recuperandæ. Neque vero
viſu aut cognitu difficilis *umbræ reditus*, quem
quotidie ſerenis obſervamus diebus: ut quam
heri, quam pridie, quam poſtridie, nudius
tertius, quartus, videramus *umbram cras pe-
rendie redire & in eodem fere loco exiſtere* videa-
mus. Sic *dies redit*, *Sol redit*, *umbra redit*, o-
mnium hominum ſermone non minus ac re
ipſa. *Redeunte die*, inquimus, *redeunte hora*,
& ubi horæ non audiuntur, *redeunte Sole*, *re-
deunte Solis umbrâ*, hac, illa, iſta, in hunc,
illum, iſtum locum. Et *redit umbra*, quoti-
es Sol redit: Qui *utriusque*, *Solis & umbræ ſo-
laris*, *reditus*: omnium hominum ore & con-
feſſione planus, apertus & perſpicuus. *Re-
dire* ergo *umbra* conſpicitur, quando *redeunte
Sole* dies redit. Ut clarior *ſecuturi diei* non ſit
de-

*deſcriptio*, quam, *Sole* vel *umbra in eundem iterum locum redeunte*. Quare promiſcue *Sol dicitur redire*, vel *umbra* in priorem locum, *die recurrente*, pro loquentis arbitrio. Cujus ipſa hæc hiſtoria teſtis, à diverſo Scriptore exarata. Quorum ille Eſaiæ XXXVIII. 9. צל בשמש *umbram cum Sole*, *umbram ſolarem* recurſuram ait, & dein ותשב השמש *Solem rediiſſe* memorat: iſte 2. Reg. XX. 9. 10. 11. צל *umbram* redituram & reverſuram deſcribit, Sole non commemorato. Proinde enim, *die redeunte*, *Sol redit*, *& umbra redit*, *umbra ſolaris redit*. Neque verbum שוב *redeundi*, *revertendi*, omni omnium gentium, Hebræorum præſertim, ore & aure, aliud quid notat, quam *repetere* quid, *idem denuo agere*, ut *res redeat*, *actio redeat*, ſeu *repetatur*, adhuc ſemel fiat. Nec ordine, modo alio, ſed eodem, ſed ſimili. Omnes Græci, Latini, Poëtæ millies & fere ſemper ita loquuntur, qui *redire* cantant, dies, annos, menſes, horas, fata, caſus. Et Germanis ſemper in os redit hæc oratio: Der Tag kömmt wieder / die Stunde kömmt wieder / das Wetter kömmt wieder. In pagis, rure, ubi horologia deſunt, vox aures omnium perſonat: Der Schein / Schatte wird bald wieder kommen an das Hauß / Baum / Pfahl ꝛc. Uſſerius etiam Annal. fol. 58. Tametſi anomaliam quandam diei civilis contigiſſe exiſtimet, ſubolet tamen illi & fatetur, *motum cæleſtium corporum non fuiſſe mutatum*. Id quod

quod probat ordinariis eclipſibus lunaribus ex Ptolomæo: *Perinde ac ſi nullus ejusmodi retrogradus Solis motus omnino intervenïſſet.*

Mirum adeo mirari os Prophetæ, qui miram deſignat rem. Mirum, aures & ſenſus hominum non redire, dum eadem res redit, eadem verba redeunt. *Res* Prophetæ omnino *mira*, *Regem morti vicinum, tertio die in templum rediturum:* *Mirum* Regi merito viſum, *ſe ægerrime decumbentem, altero adhuc die, circa idem tempus, victurum. In vita ſervandum mirum, non hora, ſed die redeunte. Vita & ſalus* in diem ſequentem ſervanda, res mira, non dies rediens, non hora remeans, non umbra revertens. Diem *ſalvum* redire, mirum, non diem. Umbram *lætam* redire, non lethum, umbram *vitalem* non lethalem, mirum. Umbra non mira, nec umbra in eundem locum rediens, *ſed cum umbra redeunte vitam moribundi redire*, hoc mirum. Et hæc ipſa erat Prophetæ pollicitatio: *Regem cras eodem tempore, circa meridiem, omnino victurum*, tametſi morti jam eſſet proximus. *Hæc affectu pleniſſima interrogatio Vatis: Redeatne umbra ad eosdem decem gradus?* Redeatne *craſtinus dies* ad idem hoc diei tempus? te vivo, te ſuperſtite? Putasne, te *craſtini hoc ipſo diei tempore*, dum umbra hos decem ambulacri gradus iterum adumbraverit ſuperfore? Quæ interrogatio eſt *affectuoſa & perbenigna conteſtatio*, fortisſimaque affir-

affirmatio, omnino futurum, ut Rex *circa idem tempus* cras vivus ſuperſit. Qualis interrogativa aſſeveratio eſt obliqua expoſtulatio, ob hæſitantiam intempeſtivam, indicium eſt animi ulterius hæſitabundi, qui id ſibi non perſuadeat, vix ac ne vix quidem ſperet aut expectet, quod ſpondeat alter. Unde eſt, quod diverſi ejusdem actionis ſcriptores, eandem viri ſententiam nunc *interrogative*, nunc *aſſertive referant*. Cum idem viri ſit affectus, ſive interrogative & oblique obteſtetur, ſive aperte affirmet & aſſerat. Perinde prout cuivis hiſtorico ſtylus placet, qui eandem actionem diverſis exprimere potis eſt ſermonis figuris, quæ eodem tendant, eundemque viri affectum pingant. Ita auctor libri Regum XX, 9. interrogantem Prophetam ſiſtit. Aſt apud Eſaiam, in ipſo Eſaiæ volumine, Cap. XXXVIII. 8. *aſſertive & affirmative* eadem exprimuntur. Sufficit utrique rem eandem expresſiſſe, diverſo ſtylo, pro more. Neque vero ſcopus & affectus Prophetæ profundisſimus ſatis explicari poſſunt, in hoc *ſanitatis tertio die rediturae & Regis in templum perendie reverſuri ſigno, a craſtino die reverſuro deſumto*. Promiſſio divina erat clara: *Regem perendie in templum reverſurum*. Hæſitabat Rex, vel morbi acerbitate compulſus, vitam ſibi eousque propagatum iri dubitans. *Symbolum* igitur *divinae ſponſionis* in re tam difficili à Propheta præ ſollicitudine exquirens, à Propheta accipit,

*re-*

*redeuntem diem craſtinum.* Quam certo *dies cra-*
*ſtinus redeat*, & quam certo *die craſtino* circa
idem tempus *umbra illuc revertatur*, & quam
certo *tempore illo redeunte Rex ſit ſuperfuturus*, tam
certo perendie illum in *templum reverſurum*,
ac per *gradus* illos in domum Dei denuo com-
meaturum. Quam ſit Deo facile *diem revo-*
*care, ut redeat*, ut in eundem locum ubi pri-
die hæſerat, umbra revertatur, tam facile eſſe
Deo, reddere Regi ſanitatem, ut *cum redeun-*
*te valetudine in templum perendie revertatur.*

Utrumque Deo æque facile eſſe, *& diem,*
*& Solem, & umbram jubere ut redeat*, cras, pe-
rendie, die tertio & *ſanitatem abeuntem revo-*
*care*, priſtinam valetudinem reſtaurare, pa-
rem vigorem reddere, efficere ut in templum
perendie redeat nunc æger Rex, non magis
Deo eſſe difficile, ac efficere, ut *cum Sol incli-*
*net in veſperam*, mox abiturus, *altero* tamen *die*
*redeat*, & *eundem locum illuſtret*. Uti Deo faci-
le efficere, ut *umbra*, quæ jam jam fere deſcen-
derit, aut per loca ſua iverit, *ad finem perducta*
*altero die de novo revertatur*, eadem loca repe-
tat, & reviſat, ita æque divinæ potentiæ in-
tegrum eſſe & facile, efficere, ut *vita Regis in-*
*clinans*, vita Regis exſpirans, *umbra vitæ Regis*,
& altero die redeat, ut altero die *Rex* nunc
*moribundus* umbræ ſimilis, *nil niſi umbra* altero
die iterum ſuperſit, & huc Spiritum trahat,
& perendie reſurgat, inque templum remeet.
Sane

Sane Prophetæ, futurorum *ſigna* non qualiacunque ſumere aut dare ſoliti, ſed *quæ rebus convenirent*, & rem omnem exacte effigiarent. Ut ſub eventus augurio, *ſimilitudo rerum*, fatorum eſſet manifeſta. Qui *ſignum eventus* darent, non *nudam eventus teſſeram* dabant, ſed *ſimile* ſimul *exemplum.* Ut ſignum comparationem referret cum re de qua ſermo. Quod ſicuti *ſignum rem deſignat*, ita illi, qui ſignum darent aut acciperent, *rem ſimul effigiatam* comprehenderent. Quæ vera & genuina erat ratio ſignorum. *Signum dare*, erat *rei eventum certo denunciare*, ita ut ex *ſimilitudine utriusque*, vel veritas, vel facilitas, vel ſucceſſus rei denunciatæ pateſceret. Ita & hic plane Eſaias *ſignum valetudinis reverſuræ, & perendie in templum redituri Regis*, daturus, ſignum promiſſionis *ſymbolumve* aut teſſeram, *ab illis ſumit gradibus per quos Rex antea in templum pro more conſcenderat. Deſcendiſſe* nuper per illos gradus *Regem*, lecto nunc affixum: *Vitam Regis inclinare*, ad exitum deſcendere cœpiſſe. *Aſcenſurum* perendie *Regem* per eosdem gradus: *Vitam Regis priſtinam* eodem modo *redituram*, valetudinemqne incrementa ſua ſumturam. Porro *Solem* illo colloquii tempore omnino *ad veſperam inclinare*, & ad abitum properare: *Regis vitam ſerenam defeciſſe pene* ad exitum, ad occaſum tendere, parum utique ſupereſſe, quin exſpiret, ad ſimilitudinem occumbentis Solis. Aſt, *ut dies redeat cras*, ita & ſanitatem

Regis,

Regis, *vitam Regis, redituram cras.* Ulterius *umbram* omnes pontis regii gradus tum ferme occupaſſe, ac ad ultimum fere jam *deſcendiſſe.* Et *valetudinem Regis* morbidam, *umbræ parem*, curſum ſuum prope confeciſſe, *ac totos vitæ gradus occupaſſe:* Mox cum Rege actum iri, ut umbra totum occupet locum. Aſt ſicut umbra altero die iterum appareat, ita & Regem morbo licet affectum, cum umbra mortis luctantem, cras omnino iterum ſuperfuturum.

Qua ratione *tota ſigni vis*, in eo poſita, quod *Deus* omnino *Regem perendie ſanitati eſſet redditurus*, adeoque in *proximum utique diem*, de quo dubitabat Rex, ægrum licet adhuc, & decumbentem, *ſervaturus.* Pari modo, *ſicut altero die, ad idem tempus, Sol & umbra ad eundem locum redeant.* Parem Dei eſſe virtutem, quâ Regem exhauſtum, umbræ ſimilem, in eandem alterius diei horam conſervet, ac umbram in eundem altero die locum revocet & reducat. *Reverſuram umbram reverſuræ vitæ Regis eſſe imaginem.* Cum reverſura in craſtinum umbra, *umbratilem* & evanidam licet *Regis vitam cras redituram*: Non exſpiraturum illa veſpera Regem, ſed ſupervicturum Regem illud cras experturum.

Quam divinam de ſupervicturo nec occubituro pollicitationem, ſymbolique imaginem quo animo acceperit Rex, non celat divinus hi-

hiſtoricus. Morbi nempe vehementia & lethalis carbunculi incendium, mortem minata. Neque adeo ſummus ægritudinis gradus, Regi, ex ſenſu ſuo judicanti, quicquam præter mortis umbram, mortis imaginem, objecit. Mors & umbra mortis, in oculis Regis, quæ omnem abſorberet ſpem. Quæ morbi vis tantopere animum occupaverat, ut *metus mortis vicinæ major eſſet, quam ſalutis promiſſæ ſpes.* Quæ *pectoris regii*, alioquin boni, *anxietas* ſpem vitæ in alterum, multo minus in tertium diem non admiſit. Hæſitabundus Rex, homo, non lapis, promiſſi certitudinem capere non potuit, cum mortis appropinquantis periculum ſpem omnem abſorberet. Reſpondit itaque vati, vitam in alterum diem & ultra pollicenti: Se vitam non videre, ſed mortem ſentire, ſe non capere, nec augurari, quod alterum diem eſſet viſurus, ſe potius brevi exſpiraturum. *Leve*, ait, triſtis, anxius, *aut facile fuit umbræ, deſcendere decem gradibus.* Quæ ſunt afflictisſimi & mortem augurantis verba. Inflectit Rex, pro ſua alioquin ſapientia rerumque peritia, *ſymbolum vitæ* à Propheta ſuppeditatum, contra ſpem factam, & *ſpei potius inanitatem* exinde pro morbi *ſenſu* contra Prophetam ac *ſymbolum morbi* eruit. Me victurum, inquit, craſtini, ais, ac rediturae in hunc locum umbræ ſymbolo illuſtras. Quam vere *deſcendentis umbræ exemplum* in me quadrat!

drat! Auguror potius, *cum umbra deſcendente me mox occubiturum, me hodie cum umbra obiturum.* Leve, ait, *facile umbræ fuit, deſcendere per gradus illos*, omine mihi infauſto, tam facile me morbo obrutum, *tam facile umbræ mortis mancipandum.* Quam leve fuit hodie, umbram eousque deſcendiſſe, ut decem illos obſcuraret gradus, tam leve, aut *facile*, inquit, video *me mox ab umbra mortis occupandum*, obſcurandum. *Facilius me periturum hodie, credo, quam cras victurum:* Ut umbra ruit, ſic ruo. Et me mortis umbrâ ſubito hodie obruendum facilius fore ſentio, quam vitam in craſtinum ſervaturum. Citius diem hunc abiturum, & me cum die, inquit, animadverto, quam diem videre ſequentem, umbramque in eundem locum redeuntem. Quod *Regis augurium de propinqua morte*, ad ideam ruentis umbræ, extorquet porro Regi, vix reſpiranti, apertam de iſthac promiſſione divina ſollicitudinem, quæ ſibi valde videatur dubia & difficilis. Difficulter ſe ſuperaturum illum diem, difficulter altero die ſupervicturum. Non, ait, quæ negatio non tam nuda eſt, & ſimpliciter negantis, quam *ſubdubitantis*, qui quidem lubens vitæ ſponſionem amplexaretur, niſi ſenſus prorſus repugnarent. *Non*, inquit, *exiſtimo, quod altero die ſim ſuperſtes futurus.* Quæ *ſubdubitatio* vehementer ſolliciti eſt indicium, ubi nulla videatur eſſe ſpes. Eſtque conjuncta cum quadam *tacita admiratione*, valde

fore

foremirum, ſi hoc evenerit. Optari quidem hoc poſſe, ſed vix ac ne vix quidem expectari. Qualis occulta difficilis rei conſideratio animum quidem aliquo modo in ſpem erigat. Veruntamen ſenſuum judicium cum repugnet, difficultas eventus iterum iterumque conſiderata, tacitam ſpem extinguit, & in dubitationem retrahit. Ut manifeſta plus ex ore effluat hæſitatio, dubitatio, fluctuatio, difficillimi eventus commemoratio, quam latentis in pectore ſpei indicium. Nec enim Hiskias homo non erat, non truncus erat, qui humani nihil habuiſſet. Senſus habebat noſtris ſimiles, affectus noſtris ſimiles. Exuere ſenſum morbi non poterat, & ſecundum illum de eventu non judicare. *Difficillimi* itaque *eventus*, promisſi quidem, id vix ac ne vix quidem ſperandi, *meditatio* profunda, pro ſenſuum teſtimonio, *negat id fieri poſſe*, quod *optaret alioquin & expectaret.* Pari omnino ratione, Hiskias Rex, ſed homo, tanto tenerior, quanto judicium ſenſuum ſubtilius, in morbi impetu, promiſſam alterius diei vitam, non reſpuit, ſed ſe non prehendere affirmat. Quare æger, Non! non! non! non puto, inquit, non video, non ſi ex me ſit judicandum, *ſentio, quod rediturus ſit Sol, me vivo, hucusque:* Quod alter dies me vivum ſit deprehenſurus: Quod reverſura ſit *umbra denuo, per decem hos pontis gradus*, quos hodie permeavit, *me ſuperſtite.* Circulum Solis re-

volutum, *diem alterum redeuntem mihi non ſpondeo. Hanc horam, hoc tempus pomeridianum cras me viſurum*, non exiſtimo. *Umbram* juxta Solem per circulum redeuntem huc ſimiliter *reverſuram*, aut cras redituram, non conjicio, me vivo. So lange lebe ich wol nicht/ bis der Schatte wieder hieher kömmt. Ich erlebe den andern Tag gantz gewiß nicht. Ich möchte wol nicht erleben/ bis dieſe Stunde/ bis dieſer Nachmittag wieder käme/ bis der Schatte hier wieder herkäme. *Umbra citius fiam*, inquit, *quam umbra* huc denuo redeat.

Pro exprimendo querulo hoc Regis & hæſitabundo affectu Scriptor Sacer uterque admodum nervoſe & eleganter intertexit perſpicuam vocem אחרנית, *denuo, rurſus*, ſive Hiskias ipſe hac voce ſit uſus, ſive Eſaias Cap. XXXIIX. v. 8. & alter autor ſacer 2. Reg. XX. 10. pro re magis explicanda abhibuerint. Deſignat enim hæc vox *motum ordinarium*, viam ordinariam, per circulum redeuntem actionem, idemque ac *de novo*, nochmahls/ von forne wieder an/ wiederherum. Ita ſingulis diebus Sol redit, אחרנית, *iterum, de novo*, priſtino ſuo repetito curſu, kömmt wieder zurück/ dicunt Germani quotidie, appoſitisſime. Ita de redeuntibus ſuo ambitu actionibus, ſive naturalibus, ſive humanis, dicitur, quod fiat אחרנית rurſum, iteratâ vice, repetito ſuo motu, ſuo greſſu, ſuo ordine ut prius. Ita

ſi

ſi quis conclave ingrediatur, dum iterum egreditur, dicitur ille redire אחרנית reverti, zurück gehen/ umkehren/ wieder zurück kehren/ eadem via qua quis venerat, denuo ire, eandem viam repetere. Non profecto, cancrino greſſu, ſed ordinario motu, facie illuc redeunte, unde venerat. Et appoſitisſime Latini ſic pari uſu adhibent ſuum rurſus, rurſum, & *re* in compoſitione quæ idem omnia ac אחרנית, denuo, iterum. Sic reverti, revertere, wieder umkehren. *Eo reverti unde quis eſt egreſſus, reverti domum*, reverti ad propoſitum, *reverti cum honore*, non cancrino paſſu, ſed recto gradu, rectâ ſemita, recte, ſed priori iterum viâ. *Reverſio* non gradus cancrinus, ſed reditus. *Redire*, denuo ire, rurſus ire, wiederum kommen. *Redire ad ingenium*, zum vorigen wiederkommen. Redire in gratiam, redire in viam, redire ad ſe, wiederum zu ſich ſelbſt kommen/ redire domum, wieder zurück kehren/ umkehren nach Hauſe. *Remeare*, de novo meare, noch einmahl kommen. *Gaudia non remeant, ſed fugitiva volant*, Was einmahl guts geweſen/ kömmt nicht wieder. Et ſic in millenis. Quod ſi cui porro videatur mirum, cum verbum שוב *redeundi*, revertendi, remeandi jam adhibuiſſent de umbra, quod addant nihilominus vocem אחרנית *rurſum*, quæ videri poſſet ſuperflua: Non mirum illis videbitur, qui meminit, majoris lucis gratiâ *in alicujus rei repetitione deſcribenda*, præ-

præter verba *revertendi*, *redeundi* & ſimilia apud gentes omnes & *adverbia* ejusdem ſententiæ pro majori loquentis affectu, adjici. Ut apud Latinos *rurſus reverti*, rurſus reducere, *rurſus repetere*, *rurſus revocare*, *rurſum redire*, noch einmahl wiederkommen / noch einmahl zurück kehren / wiederum umkehren Quæ magna orationis in repetitione vis affectus vehementiam teſtatur. Hic maxime apud Regem & vatem, qui *redituro iterum die Rege vivo reverſura iterum umbra:* Rege ſuperſtite, *reverſuro rurſus in templum Rege*, graviter ſane diſputabant, illo reditum affirmante, iſto negante, aut ſubdubitante. Magna idcirco hujus vocis אחרנית *rurſus*, vis & emphaſis, pro utriusque affectus affirmantis aut negantis, vel hæſitantis impetu; Quorum ille inſtaret & ſancte polliceretur, *rediturum rurſus diem Rege præſente* & *vivo*; Hic pernegaret, ac valde dubitaret, pro morbi difficultate, *reverſurum iterum diem*, *ſe ſuperſtite*, in vivis ſe difficulter futurum, *redeunte rurſus die*, ſe vix ac ne vix ad illud alterius diei tempus ſpiritum tracturum; quin potius, antequam illud tempus redeat, animam exhalaturum. Hâc Prophetæ promisſione factâ, ſed & hâc Regis anxietate & hæſitatione detectâ, quorum ille alterum diem vivo pollicitus, hic de alterius diei vita anxius & dubius, res tanta in *Propheta* rediit *preces*. Magna enim res erat, Regem ſervare regno, Eccleſiæ, fidei, religioni, ſin-

ce-

ceritati. Qui igitur ex colloquio animadverterat diſcrimen vitæ in Rege, & Regis animum labantem, de ſalute & ſanitate valde dubium, *precibus* apud Deum *Dei imploravit opem*, qui quo de dubitaret optimus ac religioſisſimus Rex, pro ſua in pientisſimum Regem gratia, pro ſalute publica morbum Regis averteret, *vivum in alterum diem ſupereſſe juberet*, efficeretque pro ſua potentia, ut de ſigno ſalutis proximæ convictus, dum alterum diem ſupervixiſſet Rex, de plena ſanitate tertio die reſtituenda non amplius dubitaret.

Quam ob rem *eventus* huic ſanctisſimo augurio, his devotiſſimis Vatis precibus, reſpondiſſe memoratur *fauſtisſimus*, quando Deus, ut prædixerat Vates, Regem ſervavit, ut *ſignum* hodie *datum*, de *vita in alterum diem ſervanda*, *ſequenti die vivus adhuc* agnoſceret & *experiretur*. Reverti, *redire juſſit Deus* ישׁב, *ſolem* ut loquitur Eſaias c. XXXIIX, 8. vel ut autor libri Regum inquit, *umbram illam*, re & ſententia eadem: *Rediit umbra ſolaris in gradibus*, in ambulacro Regis, quod e domo regia in templum duceret: Rediit, divina gratia, *dies*, ut *Solis* curſu revoluto & *templi umbra gradus iterum*, *ut ſuperiori die*, eodem in loco attingeret aut *repleret*. Et idem quidem *tempus pomeridianum*, quod pridie diei extiterat in colloquio, Rege adhuc vivo, *altero die* feliciter *rediit*. Quod

*accuratum tempus* ſucceſſiſſe, *adveniſſe*, Rege adhuc ſuperſtite, curatisſime monet ſcriptor divinus, pro vaticinii & promisſionis veritate, & divinæ gratiæ certitudine. *Illa*, inquit, *umbra*, tanta præciſe umbra, *quæ*, quantaque *deſcenderat*, pridie in colloquio arduo, *in* celebribus *Achaſi*, regiæ ad templum viæ, ab Achaſo reſtitutæ, *gradibus* quam umbram heri ſymbolum mortis metuerat Rex, nunc perendie אחרנית, *rurſus* de *novo* eſt ibidem conſpecta, ut eosdem, quos pridie diei, nunc iterum repleret *decem gradus*. Quæ eſt *plenisſimi eventus* luculentisſima deſcriptio: *diem* divina gratia, alterum adventaſſe, Rege adhuc in vivis, *& illum diem eousque proceſſiſſe*, Rege ſemper vivo, ut *eundem terminum* attingeret, *quo heri* de hujus diei fatis diſſeruerant. Sic Rex *ſigno* iſthoc utpote *vitæ jam ſervatæ teſſera* indubitata præſente & porro *in tertium diem prorogandæ ſpe* exinde concepta, roboratus. Satis hoc eſſe, *pro ſpe* divinitus facta, *tertio a morbo die in templum per celebratos gradus iterum conſcendendi* apprehendendâ, pro fiducia in Deum plene ponenda, & integra valetudine porro ab illius manu expectanda. *Signum* vitæ longioris, *vita* huc usque diducta, & in *morbi paroxiſmo eo usque in alterum jam diem prorogata*. Nec dubium, quin Eſaias, altero illo die, vel toto, vel illo præciſe, pridie *determinato tempore*, in curia adfuerit,

Re-

Regis lecto adſtiterit, animum roborarit, fidem accenderit, Dei gratiam illuſtrarit, veritatem ipſo demonſtrarit facto, & potentiam ſuopte probaverit exemplo. Nec dubium, quin tertio porro die Rex convaluerit, & *per regios illos Achaſi parentis gradus* in templum aſcenderit, Deo gratias agens. Iſtud אות *ſignum* Regi datum, promiſſæ reſtituendæque valetudinis. Quod *ſignum* rei futuræ excepit מופת *prodigium* rei ita geſtæ. Tale itaque *prodigium*, prodigioſus rei eventus, quale *ſignum* rei eventuræ indicium & præſagium. Prædixerat & præſagiverat Vates, Regem morbo peſtilentiali infectum, morti vicinum 2. Chron. XXXII, 24. *brevi, intra triduum* ſalvum, *ſanum* ac *ſoſpitem evaſurum* & templum iterum priſtino more frequentaturum. Cumque Rex nec alterum diem ſe viſurum ſperaret, dato *vitæ indicio* aut *ſigno* terminoque ſervatæ vitæ in alterum diem determinato, prorſus ita *evenit*, mirabili & inſperato ſucceſſu, & *ſtupendo præter omnem opinionem fato. Grande prodigium Regem*, ex peſtilentiali ulcere graviter *decumbentem* ultimum trahentem ſpiritum, *Prophetæ augurio & divino oraculo ſubito ſervatum. Prodigium*, illum qui jam jam animam exhalaturus, ex oraculo prophetico in alterum diem ſervari. *Prodigium*, illum juxta præſagium divinum, tam cito, tertio a morbo, tam periculoſo & lethali, die ſalvum evaſiſſe, &

 tem-

templum frequentaſſe. Genuina hæc *prodigii hujus ratio*, quæ in Dei ſingularem gratiam & admirabilem providentiam redeat. Dies ordinarius, umbra ordinaria: In his nihil novi nihil ſingulare. Præſagium Prophetæ *res mira*, eventus exactus *res mira*, ſervata in alterum diem ex vatis verbo vita, *prodigium*: Reſtituta valetudo tertio die, *prodigium*. Hæc prodigia, nihil in Sole, nihil in umbra Solis, nihil in ambulacro aut gradibus. Hæc ſueta, hæc ordinaria, hæc quotidiana. *Sed triduo reſurgere è lecto & letho Regem* peſte periturum, & pro vatis quidem definito præſagio, hoc demum *prodigium*. Certo prædefinita indubie ſecuta ita ſalus, *inſperata ſalus*, alioquin deſperata ſalus, hoc *prodigium*. Ad hoc prodigium explorandum, rege reſtituto, *rege Judæorum* tam *prodigioſe ſervato*, Rex Babyloniæ nuncios Hieroſolymam miſerat, 2. Chron. XXXII, 31. 2. Reg. XX, 12. ſeqq. Sive bono animo eos ablegaverit, prodigium, *prodigioſamve Regis valetudinem* cogniturus, ſive hoc deſiderium callidus prætexuerit, Regis Judæorum & regni fata eorum tecte exploraturus, ſibique viam in Judæam paraturus, & regni Babylonici fines in Judæam aliquando extenſurus: Quod vero ſimile, & ſevero Propheta judice, & triſti eventu teſte 2. Reg. XX, ib. 17. ſeqq.

Neque intermiſerat Hiskias, cum convaluiſſet, in templum reverſus, *prodigioſam illam ſalutem*, divinitus paratam, præclaro & devoto atque magnifico *carmine*, pro ardenti ſua in Deum pietate, *celebrare*. Eſaiæ XXXIIX, 10-20. Neque vero in tam illuſtri carmine, vel *Solis* vel *umbræ* ullam injicit mentionem, ſed *ſolam Dei gratiam* in deſperato morbo, in extremo vitæ diſcrimine, *vita ſervata ac reſtituta*, magno affectu prædicat. Siquidem *prodigium* nullum, niſi in *ſanitate tam cito a Deo reſtituta*, ubi nulla ſpes ſuperfuerat. Hoc *verum prodigium* cantat, hujus autorem Deum extollit. Diei ſecundi, tertii, determinatio, per Prophetam facta, adeoque reditus ſolis ad ſecundum, tertium diem, omni prodigio caruerat. In his nihil novi, nihil peregrini, aut inuſitati extiterat. Nec erat *illa redeuntis diei ſignificatio*, a Propheta facta, niſi *prodigii a Deo faciendi, promiſſi*, in ſalute brevi reddenda, *ſignum*. *Signum* igitur quod prodigio careret non memorat in ſuo carmine Rex, ſed *prodigium* ipſum ſanitatem divina gratia & potentia ex promiſſo reſtitutam, heroico motu canit.

## IV.

# C. A. H.

# Reſolutio (*a*) ænigmatis Apocalyptici Cap. XIII. v. 18.

### I.

Convenit inter omnes Romani Pontificis imperio exèmtos Theologos, hic loci Joannem loqui de Pſeudopropheta quodam, cujus auctoritas & poteſtas eò proceſſerit, ut non habeatur pro viro honeſto, ſed pro hæretico quibuſvis ſuppliciis digno, niſi qui notâ ejus inſignitus ſit, & in iis nomen profiteatur ſuum, qui ipſum colunt pro Capite Eccleſiæ & Vicario Chriſti.

### II.

Nota illa, alluſione ad ſtigmata ſervorum facta, tribus nominibus deſcribitur. Vocatur enim primo *generalius* χάραγμα, deinde *ſpecialius* τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, denique *ſpecialiſſime* ὁ ἀριθμὸς τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ. *Generale* namque nomen eſt χάραγμα, quamvis notam

(*a*) Huic Meditationi evulgandæ occaſionem præbuerunt Meditationes *Drieſſenii*, *Sturmii*, ac *Deuſingii*, Faſciculo primo hujus *Bibliothecæ* prolatæ Cap. VI. & VII.

tam ſignificans; *Specialius* nomen eſt τὸ ὄνομα τοῦ θηρίου, quo nomine certum genus notæ deſcribitur, nempe nomen heri, quod ſervi fronti vel manui inſcribitur; *Specialiſſimum* nomen eſt ὁ ἀριθμὸς τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ſignificans compendium ſcripturæ ſive abbreviaturam literis numeralibus conſtantem, qua nomen heri, anguſti ſpatii ratione habita, exprimitur. Quod autem tria hæc nomina unum idemque ſignificent, diſcere licet ex hujus Capitis verſu *16.* & ex Cap. XIV. v. 9. & 11. ubi generale nomen χάραγμα ſolum ponitur, omiſſis cæteris duobus nominibus ſpecialioribus.

III.

Poſtremum maxime nomen Oedipo indiget. Equidem is non ſum, qui perfectus mihi videar eſſe Joanneorum myſteriorum interpres. Cæterum vitio mihi nemo ſapiens verterit, quod, quæ in mentem mihi de iſto loco venerunt, veriſimilitudinis non habentia nihil, expromam, & perſpecte Sapientium judicio ſubmittam. Primo igitur loco ſtatuo, in errore verſari, quotquot nomen aliquod quærunt, in quo literæ numerales numerum *666.* conſtituentes inſint. Ut enim taceam, haſce elegantias, ſi diis placet, Joannis ævo nondum fuiſſe cognitas; repugnat hæc interpretatio indoli ſtyli apocalyptici, qui non literalis eſt, ſed myſticus. Scilicet Joannes propheta aliud lo-

qui-

quitur, aliud ſentit, ac oratio ejus non ſimplex eſt, ſed ſymbolica, ſed ænigmatica. Si igitur verba hæc: ὁ ἀριθμὸς τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ χξϛʹ, hunc haberent ſenſum; *In nomine ejus continentur numerus 666*; tribueretur Joannis prædictioni ſenſus literalis, qui certe hic non habet locum.

IV.

Deinde vulgaris interpretatio, quam modo repudiavi, propterea quoque infirma eſt habenda, quia ὄνομα hoc loco non ſtricte ſignificat *nomen*, ſed per Græciſmum (de quo conſulendus eſt *Vechnerus* Hellonolex. lib. II. cap. 8. p. 337. ſq.) τὸ ὄνομα αὐτοῦ poſitum eſt pro αὐτός. Idque ipſe Joannes ſatis perſpicue indicat. Cum enim v. 17. dixiſſet ὁ ἀριθμὸς τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ, ſtatim v. 18. ſcribit ὁ ἀριθμὸς τοῦ θηρίου & ὁ ἀριθμὸς αὐτοῦ. Pari modo quod hujus ipſius Capitis verſu 17. commemorarat χάραγμα τοῦ θηρίου, idem Capite XIV. v. 11. vocat τὸ χάραγμα τοῦ ὀνόματος αὐτοῦ.

V.

Peracute itaque vidit *Alphonſus Conradus*, Mantuanus, qui deſertis Papæ caſtris A. 1574. Baſileæ *Commentarium* edidit *in Apocalypſin Johannis*, in eoque eum, quem nunc tractamus, Apocalypſeos locum hâc proſequitur interpretatione: *His verbis ſignificatur, quod Papa ſe nobis oſtentet, quaſi ſit ille, qui non poſſit errare, cujus in manu omnia ſint, ut æquam cum DEO facul-*

*cultatem habeat, quique unus noſtræ ſalutis prora ſit & puppis. Hoc autem eſt, ſeſe oſtentare ſub mentita larva* numeri nominis DEI, *hoc eſt, ſuam dignitatem non humanam, ſed plane divinam eſſe, cui non plus liceat reclamare, quam ipſisſimæ DEI majeſtati. Nam* numerum *non pro* unitatum collectione, *ſed pro* honore & dignitate *hic accipi, nullum mihi dubium eſt. Monet ergo Johannes, ut ab hac impoſtura caveamus, & intelligamus, Papam minime eſſe eum, a quo uno pendere debeamus, ſed* numerum ejus *eſſe* numerum hominis, *id eſt, eum nihil omnino divinitatis habere, quam præ ſe ferat. Jactet quidem ille, ſuam dignitatem & ſedem eſſe divinam, ſe eſſe caput Eccleſiæ, Supremum in terris judicem, Chriſti vicarium. Verum hic* numerus, *id eſt, hæc ſublimitas, quam ſibi arrogat Papa, quamvis videri velit eſſe* numerum DEI, *tamen tantum* numerus hominis *eſt. Nihil, inquam, eſt Papa, niſi homo. Quando vero Johannes addit,* hunc numerum eſſe 666, *illum hoc numero ſugillat, quaſi diceret, eum eſſe ſexcenties ſexageſies ſexies hominem improbum & mendacem.* Hæc *Conradus* ille.

VI.

Hactenus igitur *Conradi* interpretationem laudo & approbo, quod *numerum beſtiæ* non literali ſenſu cepit, ſed myſtico. Ac fateor ingenue, virum iſtum mihi primo oculos aperuiſſe in præſentis loci tenebris, facileque mihi perſuaſiſſe, Johanni haud eſſe ſermonem

de

de numero arithmetico. Quod vero ad reliquam ipſius interpretationem attinet, ei non ſubſcribo, ſed meliorem inveniſſe mihi videor. Nam quod *Johannes* dicit, numerum hunc eſſe *numerum hominis*, ex Cap. XXI. 17. ubi *menſura hominis*, id eſt, *humana*, memoratur, lucide patet, *numerum hominis* hic loci ſignificare *numerum humanum*, ſive, ut rectiſſime παραφράζει *Hammondus*, *rationem numerandi apud homines uſitatam*. Dicit igitur Johannes, numerum χξς eſſe *numerum humanum* ſive *numerum vulgo uſitatum*; aſt quid myſterii lateat ſub hoc numero, non exponit, ſed lectoribus relinquit conjecturâ inveſtigandum.

## VII.

Reſpicit nimirum Johannes ad morem veterum, res ſuas inſcriptis numeris ſignantium. Qui mos etiam in Latino ſermone aliquot dictiones figuratas peperit: ut cum *Cicero Orat. IV. in Verrem* ſcribit: *In eam jam venerat familiaritatem, ut prope alter Timarchides NUMERARETUR.* Idem *Lib. I. ad Famil. epiſt. 9. p. m. 118. Sapientium civium, qualem me eſſe & NUMERARI volo, & ſententia & voluntas eſſe debet.* Rurſus *lib. XII. epiſt. 2. Reliquos non NUMERO conſulares.* Item *lib. VII. ad Attic. epiſt. 1. Me*, inquit, *uterque* (Cæſar & Pompejus) *NUMERAT ſuum.*

VIII.

Ut igitur paucis, quod ſentio, exponam, crediderim, Johannis hanc eſſe ſententiam: *Signum Beſtiæ & character eſt* χξς. *Hoc non eſt capiendum literali ſenſu, quaſi numerus* 666. *denotetur, ſed hæc eſt hujus ænigmatis mens: Pſeudopropheta ille a fronte & a tergo ſpeciem præbet Chriſtianiſmi*, (χ enim eſt prima litera nominis *Chriſti*, & ς eſt ultima ejus litera, vel, ſi mavis, ς eſt prima litera ſecundæ ſyllabæ nominis *Chriſti*:) *& vult haberi pro Duce Eccleſiæ Chriſtianæ, ſeque jactat eſſe Vicarium Chriſti; verum latet anguis in herba, hoc eſt, in medio & quaſi in ventre ſuo, ſive intus & in cute, habet τὸ ξ, quæ eſt figura SERPENTIS, ideſt, Diaboli, Apoc. XII. 9. & XX. 2. Serpens igitur ſive Diabolus animat eum & gubernat, per eumque loquitur & Sanctos occidit.* Ego igitur ſic cenſeo, doceri paratus, ſi quis protulerit meliora.

*Auſonius* Præf. ad *Ludum Septem Sapientum:*

*Ignoſcenda iſthæc, an cognoſcenda rearis,*
*Attento, Drepani, perlege judicio.*

V.

# Verſuchungs-Stunde über die Evangeliſche Kirche ꝛc.

i. e.

## Hora tentationis ſuper Eccleſia Evangelica per novos ſponte ſua currentes Prophetas &c.

Tiguri, 1717. 8. 1. Alphab.

Libri hujus eximii, cujus pleniorem titulum faſciculi tertii pagina 365. exhibet, auctorem eſſe accepimus Venerandum Virum, JOHANNEM JACOBUM HOTTINGERUM, Patrem, Johannis Henrici τȣ̃ πάνυ F. Theologum Tigurinum celeberrimi nominis, qui, ſi non alio opere rem publicam ſacram ac literariam ornaſſet, quam *Hiſtoriâ* illâ *Eccleſiarum Helveticarum*, quæ tribus in 4. Voluminibus ſermone vernaculo ante hoc decennium prodire cœpit, de utraque tamen meriturus fuiſſet præclarisſime. Tanta eſt veritatum, quæ in hoc opuſculo tractantur, accuratæ cognitionis neceſſitas, tamque ſolide illæ, ac per-

perſpicue excutiuntur, ut, ſi ejus brevem tibi σύνοψιν, quod à nullo ephemeridum literariarum ſcriptore factum eſſe miramur, exhibuerimus, operæ nos facturos eſſe pretium, auguremur. Hoc præcipue temporum tractu, ubi nimis, eheu! vilis annona eſt illorum hominum, qui ſpecioſo pietatis titulo abutentes, ſuaque corrupti cerebri, cui ſanando vix tota ſufficeret Anticyra, deliria pro divinis oraculis venditantes, tantum ubique excitarunt motuum, & non ſolum eccleſiarum tranquillitati, & laudabili cuique ordini, ſed & ſcientiis ac literis apertum bellum indixerunt.

In præfatione Cl. Auctor graſſantibus erroribus ponendos eſſe obices, neque minorem veritatis ac cognitionis, quam ſanctitatis eſſe habendam rationem adſtruit. Liber ipſe in duas partes diſpeſcitur, quarum *prior* brevem motuum pietiſticorum in Helvetia hiſtoriam, *altera* errorum, quos illi homines ſpargunt, refutationem complectitur. Nos poſterioris hujus partis Capitum brevem tantùm ſummam atque argumenta exhibebimus, quod ad ipſam libri lectionem Lectorem omnino ablegandum cenſeamus, ex priori nonnulla de illarum turbarum auctoribus uberius notaturi.

Caput I. agit de *vera religione*, *ejusque* τεκμηρίοις, atque extra Chriſtianam nullam eſſe ſalutis ſpem docet. *Secundum* de *immedi-*

*ita revelatione verbi & voluntatis divinæ*, *ejusque revelationis certis ſignis*, quibus à falſis inſpirationibus & Satanicis illuſionibus diſcerni queat, diſſerit. *Tertium* inſcriptum eſt de *Scriptura Sacra*, & cùm Fanaticorum contra eam criminationes diluit, tum literalem ejus interpretationem aſſerit. *Quarto* excutitur toties hâc tempeſtate agitata quæſtio de *immediatis divinis inſpirationibus*, easque poſt Apoſtolorum tempora neque exſpectandas, neque reapſe fuiſſe, & licet omni tempore non defuerint, qui tales jactarent, rerum tamen eventum docuiſſe, eas vel turbatæ phantaſiæ illuſionibus, vel hominum fraudibus tribuendas eſſe, oſtenditur. Capite ſequenti ad *verbi interni & probationis ſpirituum*, quorum utrumque, tantopere à fanaticis jactatur, phraſeosque, qua *Chriſtus in nobis* eſſe dicitur, diſcuſſionem pergitur. *Sextum* caput examini *noſtri temporis inſpiratorum*, queîs turbæ illæ, quibus tantum non omnis Europa hâc tempeſtate concuſſa eſt, debentur, dicatum eſt, inque eo brevi illorum hiſtoriâ exhibitâ, agitationes eorum indecoras, à modo, quo V. T. Prophetæ vaticinia excipiebant, abhorrentes, cum illis autem, quas olim ſacerdotes gentilium veteriſque eccleſiæ turbatores jactitabant, prorſus eſſe easdem, Oracula autem illorum & ordinationibus bene ac ſapienter conſtitutis, & ſanæ doctrinæ, atque ipſi adeo pietati contrarias, actiones denique ſcandali,

im-

impietatum, fraudum, atque ineptiarum plenaſeſſe oſtenditur. Porro ſeptimo capite doctrina Evangelicorum de *ſalutari Dei gratia, æterno Dei decreto, juſtificatione ac ſanctificatione, ejusque in hac vita perfectione*, contra recentiores horum dogmatum hoſtes defenditur. *Octavo* ac nono Capitibus quæſtiones de *Eccleſia, Dei circa eam Oeconomiis, Evangelio æterno*, perpetuâ eccleſiæ conſervatione, eccleſiæ Evangelicæ præſtantiâ, vitandâ abs illa ſeparatione, librorum ſymbolicorum utilitate, & reliqua tractantur. *Decimo* Capite *Miniſterii ſacri* atque ad illud vocationis, *Scholarum* atque Academiarum, externi divini cultûs, neceſſitas atque dignitas adſtruitur, fanaticorumque contra verbi divini Miniſtros criminationes diluuntur. *Undecimum* caput Chiliaſtarum de futuro Chriſti in terris glorioſo regno, & diabolorum, damnatorumque ſperandâ tandem ſalute errores refellit, & tandem liber hic indicando vera media, quibus Chriſtianiſmi praxis emendari ac promoveri queat, concluditur, obſervaturque id demum tum ſperandum eſſe, quando quatuor P. id eſt, *Principes, Paſtores, Præceptores, Parentes* ſuo officio conjunctis viribus recte fungantur. Quemadmodum autem ex his capitum poſterioris partis lemmatibus, quæ ſit hujus libri utilitas, patet, ita liceat ex priori parte quædam, quæ ad hominum illorum, qui & hujus ſcriptionis & motuum eccleſiaſti-

eorum Helveticorum anſam dedere, notitiam faciunt, breviter excerpere. Videlicet Menſe Septembri a. 1689. Joh. Frid. *Speier*, Lamshemio Palatinus, Chirurgices Studioſus, aſſerere fuerat auſus, *regenerationem in hac vita tam perfectam eſſe poſſe, ut regenitus non amplius peccet, ſe ne quidem peccare poſſe, ſe ſanctitate Chriſto eſſe ſimilem, atque ab aliquo tempore tam innocenter vivere, ut protoplaſti ante lapſum, ſe ſimilem habere Spiritum, quem olim habuere Apoſtoli, ſe non minorem eſſe Paulo, Quarta, quinta ac ſexta Orationis Dominicæ petitionibus ſibi non opus eſſe* &c. Hæc didicerat à quodam N. *Wolthers*, Studioſo Lunæburgico, qui Tiguri & Bernæ illos errores diſſeminaverat, ac tandem Spandoviæ in cuſtodiam fuit datus. Cum autem ille *Speierus* pergeret ſuas blaſphemias ſpargere latius, & tantum non aliis obtrudere a. d. 15. Oct. 1689. juſſus eſt urbe excedere, cum interdicto, ne vel unquam reverti, vel cum aliquo civium Tigurinorum commercium literarum colere auſit.

Anno 1710. Nicolaus *Schärer*, Diaconus Lichtenſteigenſis, à S. P. Q. illius urbis, quæ eſt in comitatu Toggenburgenſi, ab officio ſuo amotus ob varias excitatas turbas, novaque, quæ diſperſit, dogmata, venit Tigurum ſponte ſuâ, confesſionis ſuæ rationem redditurus, ubi deprehenſus eſt in gravisſimo Chriſtianæ religionis articulo de *juſtificatione*

*pec-*

*peccatoris coram Deo* erraſſe graviter, dum adſerebat, *peccatorem*, quæ ipſa ejus verba ſunt, *non ſolum per externam imputationem juſtitiæ Chriſti juſtum declarari, ſed & actuali, atque interna juſti- ſive ſanctificatione propter Chriſtum. Fidem autem heic conſiderandam non, ut manum Chriſtum apprehendentem, ſed ut actuale atque eſſentiale principium, ſive partem ſanctificationis per Spiritum Sanctum.*

Prorſus hæc eadem ſunt, cum iis, quæ τὸν δεῖνα ante triennium publice docuiſſe tantumque noſtras eccleſias Bremenſes turbaſſe, etiamnum meminimus. Oppoſita illi errori fuit A. 1715. publica Diſputatio Tiguri, cujus titulus: Φρονησις δικαιων, *ſeu Doctrina de juſtitia vera, fide, & utriusque imputatione, teſtimonio legis, Prophetarum & Apoſtolorum roborata*, quam quidem noſtris in oris ut tenere nobis liceret, optamus. Non tangimus, quæ de Johanne *Jennhardo* & Samuele *Konigio* p. 38. & 39. de motibus Vitoduranis p. 42. & 43. de ruſtico, munus publice docendi ſibi arrogante p. 43. de Laurentio *Schenß*, Paſtoris eccleſiæ Heydenſis in Abbatis-cellenſi diœceſi, ſed ob errores fanaticos exauctorati; p. 44. de libris ad defendendos illos errores in vulgus ſparſis, v. gr. de *Schæreri* (qui Anno 1711. diem ſuum obiit) *Libro de juſtificatione*; *Theologia comparativa*; *Myſterio primogeniti omnium creatu-*

*varum*; (a) *relatione de efficaci tractu & progreſſu gratiæ*, (Bericht von dem kräfftigen Zug und Gang der Gnaden) cujus auctor ſe *infantem lactentem*, (ein junges Milch-Kind) vocat, p. 42. 43. narrantur. Prolixior eſt relatio eorum, quæ cum Joh. Ulrico *Gietzendannero*, ejusque ſociis acta ſunt. Scilicet hic faber aurarius ac civis Liechtenſteigenſis Halis Saxonum & Magdeburgo in patriam redux erroribus ſuis implere tentans omnia perpetua exulatione a judicio provinciali multatus a. 1713. Tigurum venit, atque fidei ſuæ & doctrinæ examen expetit. In illo cum de *munere docendi*, *ſeparatiſmo*, *immediatis revelationibus*, (quas phantaſiæ deliria vocabat eorumque jactatoribus illud Jer. XXIII. 32. applicari volebat) *imperfectione ſanctorum in hac vita*, *eorumque operum*, *imputatâ juſtitia* Chriſti, ſententiam ſuam declaraviſſet non alienam a ſententia eccleſiæ Evangelicæ, per integrum biennium quiete Tiguri vixit. Illo exacto Marpurgum

(a) Auctor hujus libri eſt famoſiſſimus J.W. *Peterſenius*, qui in nupero catalogo ſcriptorum ſuorum ἀνεκδότων, quem hiſtoriæ vitæ ſuæ ſuperiori anno ab ipſomet conſcriptæ atque editæ, ſubjunxit, eum librum ſub hoc titulo ad prelum paratum habere atque editurum promittit, lingua vernacula: Das Geheimniß des Erſtgebohrnen aller Creatur; i.e. *Myſterium primogeniti omnis creaturæ*, *Tribus Tomis*, *ex ſacra ſcriptura*, *ex ſanctis patribus*, *aliisque recitatis teſtibus plene exhibitum*, *& contra exceptiones adverſariorum munitum a Joh. VVilh.* PETERSEN, D.

gum abiit, ſuæque illius declarationis prorſus immemor immediatam divinam inſpirationem (ſub qua tamen deinde ſeductionem Satanæ latere potuiſſe agnovit) & mandatum jactans in ſuggeſtum ſacrum irrupit, propter quod factum à Serenisſimo Hasſiæ Landgravio terris ſuis juſſus (*b*) eſt excedere. Rediit itaque in patriam, poſteaquam incaſſum à magiſtratu Tigurino veniam redeundi Tigurum petiiſſet, ibique cum conventus clandeſtinos inſtituiſſet, divinasque inſpirationes jactaſſet, in vicinia urbis Tiguri, poſtquam altera vice fruſtra licentiam commorandi in urbe rogaverat aliquamdiu vixit, interea duos notarios ſibi impoſitione manuum adſcivit, quorum unus geſtus, alter ipſa verba chartis conſignaret, quibus uteretur, quando non ſine horrendis corporis agitationibus, non ſine terrifico ululatu, murmure, rugitu, boatu ac ſibilis divinitus ſibi, ut ajebat, dictata oracula proferebat. Id vero maxime memorabile eſt huic Gietzentannero acriter reſtitiſſe ſimilis alias furfuris fanaticum Johannem Adamum *Gruberum*, illiusque inſpirationes & riſu & ludibriis excepiſſe, vocaſſe eum *Prophetam ſponte ſua currentem*, *ardelionem*, *ſervum infidum, qui nomine divino fuerit abuſus*, *honorem illius turpiter profanaverit*, & reliqua. Atque ex hoc vel unico argumento conſtat abunde, quantum infelicium horum hominum conatibus



(*b*) Vide, quæ ſupra Faſc. II. p. 152. & ſeqq. adducta ſunt.

tibus fidendum ſit, & quam plena inter eos omnia horrendæ ac verè Babelicæ confuſionis ſint. Sicut ea porro plenius cognoſci poſſunt, ex iis quæ in ſequentibus de eodem Grubero, filio Eberhardi Ludovici *Gruberi*, qui olim in Ducatus Würtembergici pagis Grospaper & Hofen paſtoris munere functus eſt, ab eo autem dejectus primum Budingam, & deinde Schwartzenoviam (*c*) ſeceſſerat; de ejus ſociis ac notariis Henrico Sigismundo *Gleimio* Rotenburgenſi Haſſo, caligarum textore, Blaſio Daniele *Maginet* ut & Georgio *Ilngemuth* Marpurgenſi, de variis tumultibus, quos Scaphuſii, Vitoduri, Lauſannæ, Bernæ, ac denuo Tiguri ſuſcitaverunt, commemorantur. Sunt ſane hæc omnia ejus generis, ut ejuscemodi hominibus faciles nimium præbere aures vel ſaltim aliquid divini in iis deliteſcere, ſuſpicari, aut illorum partes tuendas ſuſcipere, nedum eorum deliria cum divinorum V. T. oraculis conferre, mihi quidem in unoquoque homine, qui veritates cœleſtes e ſacris V. & N. Teſtamenti didicit, turpe, in homine autem Theologo & multo magis ſacrarum literarum Profeſſore intolerandum videatur. Aliter ſane de iis judicavit amplisſimus Tigurinorum magiſtratus, qui ab illis hominibus multum periculi ſtatui ſuo politico æque ac eccleſiaſtico metuens, illos tanquam calumniatores, quietis publicæ turbatores, atque impo-

(*c*) Confer Faſc. II. p. 198. ſqq. ut & Faſc. IV. p. 575.

poſtores poſt quatuor dierum cuſtodiam infamibus numellis alligatos, ac virgis cæſos, ſcripto, quod obtulerant, tanquam famoſo libello ipſis adſpicientibus manu carnificis concremato, extra limites ditionis ſuæ duci voluit, gravi addita comminatione, ſi in agrum aut urbem Tigurinorum inferre rurſus pedem eſſent auſuri. Sed hoc judicium non res eſt noſtri judicii. T. d. H.

## VI.

# JOANNIS GEORGII BELLERSHEIMII

(*In cœtu Reformato qui Sigenæ Naſſaviorum Chriſto colligitur, Paſtoris*)

Exercitationes Typico-Propheticæ, de

## FATIS CHRISTI

inſignioribus,

## MYSTICIS

In fatis Eccleſiæ, & unoquoque fideli, cum conſectariis practicis & ſubjunctis in fine indicibus locupletisſimis, Herbornæ Naſſoviorum. 1718. 4. 2. Alphabetha & 16. philyræ.

NOn ſine ſingulari veritatis ſpecie Viris clarisſimis & ἐν γραφαῖς δυνατοῖς ea ſedet opinio Hiſto-

riam Evangelicam Chriſti & Apoſtolorum, æque ac Hiſtoriam V. T. eſſe Allegoricam, & ſequentia Eccleſiæ N. T. fata per illam adumbrari. Arriſit hæc hypotheſis poſt alios Reverendo hujus ſcripti Authori. Quare ſpeciminibus quibusdam per duodecim Exercitationes digeſtis eam illuſtrare contendit. In præfatione inſtituti ſui rationes brevisſime percenſet, duoque præcipue argumenta urget. Primum deſumitur ex Veteri Teſtamento, ubi dantur oracula typica, quæ partim de typo, partim de antitypo exponenda. Occurrunt etiam vaticinia, quæ & de Chriſto & de Eccleſia loquuntur. Offenduntur quoque typi partim Chriſtum, partim Eccleſiam typice demonſtrantes. Alterum argumentum ſubminiſtrant locutiones N. T. quando Chriſtus in nobis dicitur μορφοῦσθαι, nos in ipſo circumcidi, creſcere, cum eo mori, ei conſepeliri, cum eo reſurgere, in cœlum adſcendere, & tandem in ejus throno ſeſſuri dicimur, quæ omnia communionem fatorum Chriſti & Eccleſiæ important. (a)

Exerci-

(a) Optandum fuiſſet, ut in demonſtratione hujus hypotheſeos Author largior fuiſſet, præſertim cum multi ſint, qui non tantum ab ea alieni ſunt, quos libenter patimur ſuo gaudere ſenſu, ſed etiam, quod iniquum, a charitate alienum, & in fratribus minus ferendum eſt, naſo adunco eam ſuſpendunt. Prolixiorem heic operam inſumſere Herm. *Deuſingius* in demonſtratione Allegoriæ hiſtoricæ N. T. Ant.

Exercitatio I. *de Jacobi Schilo* ad Gen. XLIX. 10. agit. Locus hic primo de adventu Meſſiæ in mundum proprio explicatur: dein exercitii cauſſa analogia inter hunc Chriſti adventum, & alium illuſtriorem ad regnum glorioſius ultimis temporibus indicatur. Exercitii, inquam, cauſſa, quia ipſe Author §. 40. ait: "Hæc quando pono, „nemo putet, ac ſi dicere velim, Jacobum „Patriarcham de hiſce in ſpecie vaticinatum „fuiſſe. Compertum enim ipſus habeo, no„ſtrum vaticinium potisſimum primum Meſ„ſiæ adventum in carnem reſpicere &c. Sed ita

*Drieſsen* in diatribe de principiis Theologiæ emblematicæ cap. IV. quod agit de allegoria hiſtoriæ N. T. Memini quoque me ejusdem ſententiæ defenſionem non contemnendam inter ſchedas *Cl.* H. G. *Snabelii* MStas oculis perluſtraſſe. Nec novitatis invidia ii onerari poſſunt, qui ita ſentiunt. Præivere Patrum haud pauci. Seculo a Chriſto nato ſecundo jam apparuere *Theophili Antiocheni* allegoriarum in S. Evangelia libri. Eadem mens fuit *Origeni*, *Clementi Alexandrino*, *Hilario*, *Auguſtino*, *Ambroſio*, ſexcentis aliis. Egregius inter alios locus eſt *Lactantii* Div. Inſt. Lib. VII. c. 26. ſed prolixior, quam ut heic eum exſcribere allubeſcat. Ipſa quin etiam ſaxa & monumenta Chriſtianorum veterum, quam vulgata fuerit hæc apud illos opinio, loquuntur. Conſule *Aringhium* Rom. Subterran. lib. VI. Nos profundiorem inquiſitionem in hanc rem alii tempori locoque reſervamus: Promulſidem ἀποδείξεως ex ipſis limpidisſimis S. Scripturæ fontibus daturi in Tractatus noſtri vernaculi *de fœdere gratiæ* Tomo V. qui brevi ſub prælum dabitur.

îta totus parallelismus in merum ingenii luſum reſolvitur. An vero tales luſus ſe iis probaturi ſint, qui in exegeſi Scripturæ ſacræ nil niſi, quod ſolide ad conſcientiam demonſtrari poteſt, admittunt, de eo merito dubitamus. Idque eo magis, quia in ipſa analogia, quam Rev. Author inſtituit, ſunt, quæ invita Minerva prædicantur. Verbi cauſſa, quando *ſceptrum Judæ* (ita enim placet Authori τὸ שבט reddere) comparatur cum regno Antichriſti. Quod ab iis, qui allegoriam hiſtoriæ V. T. agnoſcunt, concedi-nequit, cum nunquam in toto codice ſacro regnum domus Davidis, quod ſolum per ſceptrum Judæ intelligi poteſt, ut typus Antichriſtianiſmi inducatur.

Exercitatio II. ſiſtit *Prodromum Meſſiæ.* Ingenioſe §. 5. poſtquam relationes Judæorum de בת קול ſeu filia vocis inter fabulas recte collocatæ ſunt, ſtatuitur eas convenire Johanni Baptiſtæ, qui vocatur *vox clamantis.* Et cum Kabbaliſtæ diſtinguant inter *vocem* & *filiam vocis* ſtatuantque, quod quædam virtus divina ſit, quæ קול vocatur, cujus vox ſit בת קול *filia vocis*; illud ita verum eſſe perhibetur, quod inter perſonas divinas ſit quædam, ſecunda nempe, quæ Sermo cluit, & hujus Sermonis vocem, Johannem, Meſſiæ Prodromum eſſe. Confertur autem miniſterium Johannis cum miniſterio Evange-

lii

lii tum in N. T. initio, tum Reformationis tempore.

Exercitatione III. ad Chriſti hiſtoriam progreditur, & eo ordine procedit, ut primo hiſtori m ipſam tum ex prophetis tum ex Evangeliſtis illuſtret, variaque adſpergat notata eruditionem ſpirantia, deinde typum explicet, idque tum quoad univerſam Eccleſiam N. T. tum quoad ſingulos fideles. Nos vulgaria & ab aliis abunde notata prætermittentes miſcellas quasdam obſervationes, quæ authori magis privæ ſunt, hinc inde decerpemus. Hoc ergo caput *nativitati Chriſti ex Maria Virgine* deſtinatum eſt. Ad palatum noſtrum eſt, quod §. 35. docet, quando in hymno Angelico Luc. II. 14. *gloria Deo in excelſis* datur, id cum œconomia Patriarchali convenire. Eo enim tempore Deus, ut *in excelſis* conſiderari ſolebat. Clara res ex ſacerdotii Melchiſedeciani deſcriptione, qui *Sacerdos Dei altisſimi* Gen. XIV. 18. dicitur, oppoſite ad Aaronidas, qui ſacerdotes erant Dei habitantis in ſanctuario manufacto, ſedentis ſuper Cherubim. Tempore vero Melchiſedeci Deus nondum in terris fixam iſtiusmodi ſedem habebat, & ſub N. T. rurſum cœlum Dei thronus erat Jeſ. LXVI. 1. Minus arridet, quod §. 37. tres Auguſti triumphi uno die habiti cum totidem triumphis Chriſti conferantur, & quod §. 38. fabulis diverſis ab aliis exploſis, præcipue de oraculo Delphico: *Me puer Hebræus* &c.

&c. fides habeatur. Nervos abunde huic traditiunculæ incidit *Ant. van Dale* de oraculis diſſert. II. c. 2. & 3.

Exercitatio IV. exhibet *circumciſionem Chriſti & nomen Jeſu.* §. 7. cumulantur octo rationes, cur circumciſio in membro genitali fuerit peracta? 1) Circumciſus vi fœderis cum Abrahamo initi natus erat. 2) Obſignabatur Abrahamo multiplicatio ſeminis ſui. 3) Docebat nomen Dei à Judæis quærendum eſſe. 4) Monebat de promiſſo ſemine. 5) Arguebat omnes virili ſemine conceptos in peccato naſci. 6) Figurabat beneficium gratiæ, quo tollitur originaria labes. 7) Ut carnalis concupiſcentia in eo membro, in quo potisſimum dominatur, amputaretur. 8) Ut præceptum eſſet caſtimoniæ.

Exercitatio V. *vitam Chriſti privatam* perluſtrat. Occaſione Chriſti in templo oblati de jure primogenituræ & ejus typo §. 6. ſeqq. agit, ubi triplicem primogenituram in Scriptura monſtrat 1) *adnatam*, quæ ſtricte dicitur: 2) *acquiſitam per contractum*, idque tum *emtionis*, qualis erat Jacobi, tum *permutationis*, quo refert primogenituram Levitarum Iſraëlitis ſubſtitutorum: 3) *donationis*, cujus exemplum in filiis Jacobi, Levi, Juda & Joſepho eſſe creditur. Omnia vero hæc genera in Chriſto conſpirare oſtenditur. §. 87. locum Hebr. V. 12. illuſtrans diſtinguendum putat inter *lac* & *elementa initii ſermonum Dei.* Sub ne-

nomine *lactis* umbras & figuras legis Apoſtolum intelligere, *elementa* vero appellare primas promisſiones, quas Patres inde à Paradiſo audiverunt. Diverſa enim eſſe hæc ϛοιχεῖα τῆς ἀρχῆς τῶν λογίων τοῦ Θεοῦ, *elementa initii ſermonum Dei*, à ϛοιχείοις τοῦ κόσμου, *elementis mundi* Gal. IV. 3. Utraque hæc *elementa* cibum infirmorum eſſe. *Elementis initii ſermonum Dei* alebatur prima Eccleſiæ infantia ſub Oeconomia Promiſſionis. Illi enim inculcabantur promiſſiones de futuro Mesſia, idque orali traditione, ut cum infantibus balbutire, eosque voce ſolâ formare parentes ſolent. *Elementis vero mundi* & *lacte* ceremoniarum alebatur pueritia Eccleſiæ à Moſe ad Chriſtum.

Exercitatio VI. *de vita Chriſti publica* differit. §. 3. notat, Chriſtum id cum omnibus, de quibus in N. T. agitur, commune habere, quod anni exactæ ejus in terris vitæ non conjunctim exprimantur, ſecus ac in V. T. Nec id abs ratione factum. Inſerviebat nempe ætas Patrum ſignandæ Chronologiæ usque ad adventum Chriſti, quo exhibito accurata ætatis hominum conſignatio Spiritui Sancto ſupervacua videbatur. Idque eo magis, quod, cum vita longæva non amplius bonum N. T ſit, minor ejus merito in N. T. ratio habeatur. §. 48. ſq. triplicem tentationem Chriſti cum triplici tentatione ſucceſsivâ Eccleſiæ confert: primam occaſione *famis* cum perſe-

cutionibus gentilium: alteram, ut ex pinnaculis Templi ſe dejiceret, cum Eccleſiâ ad Pergami ſpiritualis altitudinem evectâ: tertiam, ut adoraret Satanam, cum invectâ ſub Antichriſtianiſmo beſtiæ adoratione.

Exercitatio VII. verſatur circa *paſſiones Chriſti* & præcipue *unctionem Bethanienſem*. VIII. *de Paſchate Chriſti emortuali* diſſerit. Explicatur hic late typus agni paſchalis. Inter alia §. 8. ſeqq. ventilatur quæſtio, quæ merito dicitur vexatisſima: *An Chriſtus eodem cum Judæis die Paſcha comederit, an vero diem anticipaverit?* Noſter primariis opinionibus recitatis *Cocceji* partes eligit, qui initium menſis à Judæis duplicitèr computatum eſſe obſervavit, vel *ex calculo Aſtronomorum*, vel ex φάσει *Lunæ*. Chriſtum ex *calculo*, Judæos ex φάσει computaſſe. Difficultates hanc ſententiam prementes non infeliciter ſolvuntur. In eo tamen §. 21. à Cel. *Coccejo* diſcedit, quod ad objectionem, quomodo Chriſtus potuerit comedere, antequam Sacerdotes comederent, cum Paſcha nonniſi in atrio mactandum & ſanguis ejus à Sacerdotibus ſpargendus eſſet, aliter reſpondendum ducat. Male enim, ait, Coccejum regesſiſſe, adſperſionem ſanguinis non fuiſſe neceſſariam, neque opus eſſe, ut eo deveniamus, cum Synedrium concedere potuerit, Paſcha vel ex calculo, vel ex φάσει Lunæ celebrare. §. 46. Virum gerentem hydriam & locum Paſchatis celebrandi oſtendentem Con-

ſtantinum M. adumbraſſe conjicitur: & §. 54. analogia inter cœnaculum & Romanum Imperium monſtratur, quæ an arriſura ſit eruditis, merito dubitamus. Primo comparat amplitudinem: ſecundo pavimentum. Cœnaculum, ait, erat ſtratum, ſi *lapidibus*, lapides multitudinem inconverſorum notabunt: ſin *lectulis* atque *floribus*, ex more veterum: certe illo temporis articulo Chriſtus velut myſticus Salomo in lecto quieſcens obſervari poterat, quiete hâcce fruiturus innumeramque ſobolem procreaturus, hocque modo deſertum Gentium fidelibus converſis, velut floribus germinare incipiebat. Nimis ſane acute. Non licet ita typos fingere ex ingenio, merisque conjecturis ſuperſtruere. Quicquid in typum ingreditur, quoad literam clare à Spiritu Sancto expreſſum eſſe oportet. Quare & pro ſimili ingenii luſu habemus, quando cum quatuor calicibus Paſchalibus, quorum itidem Scriptura nuſquam meminit, quatuor calices myſtici, *benedictionis*, *conſolationis*, *ſalutis*, *excandeſcentiæ* conferuntur. Optandum eſſet, ut aliquando ſtudium typicum ab his & ſimilibus ſuavibus ſomniis penitus expurgaretur. Nunquam deerit contemtoribus illius illudendi materies, quamdiu tales nubes pro Junone amplecti adlubeſcit.

In Exercitatione IX. agitur *de Sacra Cœna & hymno Paſchali*: in X. *de teſtamento Patris &*

*Filii & Apoſtolorum ſcandalizatione* : in XI. *de torrente Kidron & monte Oliveti.* Inter alia hic §. 24. ad illuſtrandum locum Jeſ. LXIII. 1. ſq. notatur, quosdam interpretes viſum illud de paſſionibus, quas Meſſias in propria perſona exantlandas habuit, intelligere: alios Meſſiam hic conſiderare, ut vindictam ſumentem de hoſtibus, in ſpecie Antichriſto, ultimis temporibus. Noſter agnoſcit, hoc viſum ultima tempora reſpicere. Notat tamen: 1) ultimis Eccleſiæ fatis quandoque immiſceri ea, quæ in initio N. T. acciderunt, in ſpecie mentionem de paſſione Chriſti. Ex. gr. quando Zach. XIII. ſermo eſt de abolitione idololatriæ & falſorum Prophetarum, tunc decretum Dei de patiente Chriſto interſeritur, in typum ſimilis gubernationis Eccleſiæ. 2) Prophetiæ ſubinde paſſiones Chriſti in perſona & corpore myſtico connectere ſolent cum inſequente vindicta in hoſtes. Locus id probans Authori egregius occurrere videtur Gen. XLIX. 11, 12. ubi Patriarcha moribundus *Schiloh* introducit *veſtem ſuam in vino & tegmen ſuum in ſanguine uvarum loturum*, quem & *rubicundum oculis præ vino fore teſtatur.* Locum hunc ita παραφράζει: *Veſtis* Schiloh naturam, quam aſſumturus erat, humanam dicit, *tegmen* vero Eccleſiam, quâ veluti veſte induitur, notat. *Lotio veſtis in vino* ſignificat paſſiones, quas in perſona exantlavit, *tegminis* vero *in ſanguine uvarum* dicit paſſiones

in

in corpore myſtico Col. I. 24. Quando jam *rubicundus oculis præ vino* dicitur, notatur eo Mesſias irâ exardeſcens, & de hoſtibus vindictam ſumens. His præmisſis author noſter etiam apud Jeſaiam ſtatuit utramque ſententiam combinari poſſe, nempe heic loci ſermonem eſſe, & de patiente Mesſia in perſona & corpore myſtico, & de eodem vindictam ſumente de hoſtibus. (*b*)

Ultima exercitatio *fatis Chriſti in Gethſemane* deſtinata eſt. Nec enim ulterius Viro Reverendo placuit hanc telam pertexere.

(*b*) Conferri hic merentur Viri Celeberrimi *Alberti Schumacheri*, Collegæ æſtumatisſimi diſſertationes potentiæ ejus in hermeneua S. Scripturæ teſtes, quas *de Vindice Eccleſiæ, qui ex Edom & Bozra Victor revertitur*, publice ventilavit, & in quibus non longe a noſtro authore diſcrepat. Latius enim in hac pericopa prophetica promisſionem paradiſiacam de capite ſerpentis a ſemine mulieris conculcando, ſed non ſine contritione calcanei, deduci exiſtimat, adeoque & ejusdem amplitudinis Jeſaiæ viſum eſſe, quam ſententiam uberrimo haut proletariæ eruditionis apparatu illuſtrat. F. A. L.

VII.

# Literæ (*a*) ac memoriæ Regum, Principum, Statuumque Belgicæ fœderatæ,

Scriptæ

Ad inclutum Magiſtratum Reipublicæ FRANCOFURTENSIS,

Pro

Impetrando ejus urbis civibus, REFORMATAM religionem confitentibus, templo ac Sacrorum libero in urbe exercitio:

*A.*

Literæ ſcriptæ nomine Sereniſſimæ Magnæ Britanniæ Reginæ ANNÆ.

*B.* Li-

(*a*) Hæc monimenta omnino digna cenſuimus, quæ ab interitu & oblivione vindicentur. Fortasſis enim venturæ poſteritati incredibile videbitur, ejusmodi potentatus hujus rei veniam quæſiviſſe, & potuiſſe ferre repulſam. Idque in iis temporis circumſtantiis, quibus illis, ut fere omnis Germania, ita illa maxime urbs libertatem, ac ſalutem fere poſt Deum debebat unice. Proh Deum atque hominum fidem! JUDÆIS, perditis Salvatoris noſtri, ac Chriſtiani nominis hoſtibus, civium peſtibus, liber Sacrorum uſus conceditur, eorumque Synagogæ diris in Chriſtum, benedictum in ſæcula,

*B.*

Literæ ſcriptæ à Sereniſſimo Rege Boruſſiæ FRIDERICO.

*C.*

Literæ ſcriptæ à Sereniſſima Principe SOPHIA, Electoris Brunſuico-Luneburgenſis vidua, ac regnorum Magnæ Britanniæ Hærede.

*D.*

Literæ præpotentum Belgii fœderati Ordinum.



carminibus, ac blaſphemiis cottidie perſonant. Illis autem, quorum majores propter nomen Chriſti tot acerba perpeſſi ſunt, ejusque doctrinam tot ſanguinum non rivis, ſed fluminibus obſignarunt, & cum facultatibus ſuis patriæ fines & dulcia arva dereliquerunt, qui in nonnullis quidem ab illis disſident, quos autem in fundamento communis utriusque ſanctisſimæ fidei errare, vel quoad externi cultus ceremonias a moribus diſcedere Apoſtolorum, & in quibus nullos eſſe Chriſtum ἐν ἀφθαρσίᾳ diligentes, ne ipſa quidem vel expudorata aſſerere auſit impudentia, in quibus tamquam illibato populi flore ferme præcipuæ urbis opes ſitæ ſunt, caſtis manibus Deum Chriſtumque colere, & vel in publico cœtu pro incolumitate Magiſtratus ſui vota facere, interdicitur. Oportet ſane longe alias conſiliorum rationes eſſe conſcriptis Reipublicæ Francofurtenſis Patribus, quam quidem ſunt aliis Proceribus, qui civibus ſuis A. J. C. addictis iisdem concedunt uti juribus ac Sacrorum libertate, quibus ſuæ fidei conſortes fruuntur. Eas quidem inveſtigare, aut,

E.

Literæ Sereniſſimi Principis CAROLI, Haſſiæ Landgravii.

F.

Memoria nomine Reginæ Angliæ & Ordinum Belgii oblata eminentiſſimo & sereniſſimo Collegio Electorali.

## A.

# Memoire préſenté par Mr. *Davenant* aux Magiſtrats de la Ville *de Francfort.*

*Meſſieurs.*

SA Majeſté la Reine de la Grande-Bretagne étant informée des incommoditez, que ſouffrent vos Citoyens Reformez pour aller à leur Egliſe, & ne pouvant que s'intereſſer à ce

utræ illorum charitatis ac moderationis legibus, quas communis Dominus noſter J. CHRISTUS ſuis diſcipulis præſcripſit, accedant propius, definire, noſtrum non eſt. Faciant hoc nationes aliæ extra partes poſitæ, judicet poſteritas, decernat ÆTERNITAS. Supplices interea divinum numen poſcimus, ut, quam duras atque inexorabiles Regibus adeo ac Principibus S. P.

ce qui les regarde, m'ordonne de vous reque-
rir en ſon nom, de leur permettre de battir,
un temple dans Votre Ville.

Sa Majeſté eſpere que vous Lui accorderez d'autant plus agreablement ce qu'Elle Vous demande, que rien ne paroit plus raiſonnable & plus conforme à la Charité Chretiénne.

En effet, Meſſieurs, ſa Majeſté ne demande pas que vous cediez aux Reformez un de vos temples, ou que vous leur en faſſiez batir un à vos depens: Elle ſouhaite ſeulement que vous leur permettiez d'en conſtruire un à leurs propres frais, & que, ſans qu'il vous en coute rien, vous leur facilitez les moyens de rendre à Dieu le culte, qu'ils lui doivent.

Vous le pouvez, Meſſieurs, & pluſieurs Princes, & Villes, de l'Empire, de Votre communion, vous autoriſent, & vous engagent par leur exemple, à leur accorder cette faveur.

Sa Majeſté la Reine de la Grande Bretagne donne un entiére liberté à ceux qui ſuivent la Confeſſion d'Augſpurg, & leur permet de faire l'exercice public de leur Religion.

 Leurs

Q. F. ejusque publici ſacerdotes, REFORMATORUM cauſam agentibus, hactenus præbuere aures, tam faciles atque expoſitas precibus det, quando eundum illis erit illuc, unde negant redire quemquam, & coram illius comparendum tribunali, cujus veſti ac femori inſcriptum eſt, REX REGUM & DOMINUS DOMINANTIUM.

Leurs Hautes Puiſſances les Etats Generaux des Provinces Unies des Paisbas, & pluſieurs Princes Reformez font la même choſe.

J'óſe eſperer que vous aurez les mêmes égards pour la Religion de ces Puiſſances qu' Elles temoignent pour la Votre, & que Vous ferez paroitre dans cette rencontre combien Vous voulez donner à leur deſir & à leur ſollicitations.

La Reine ſur tout ſe perſuade que Vous ne lui refuſerez pas ſi peu de choſe, aprés ce qu' Elle vient de faire pour le ſalut de l'Empire. Il n'eſt pas neceſſaire, que je vous repréſente l'Etat des affaires en Allemagne, il y a huit à dix mois, & en particulier combien Vous aviez ſujet de craindre que Votre Ville ne devint une Place frontiere, ni combien les armes de ſa Majeſté, conduites par Mylord Duc de Marlborough, ont contribüé, à éloigner de Votre Ville les Ennemis, & à aſſûrer Votre repos, Votre liberté, & Votre Religion. Je Vous crois, Meſſieurs, trop reconnoiſſans pour l'oublier jamais, & trop éclairéz pour ne prévoir pas, que Vous pouvez encore avoir beſoin du ſecours de ſa Majeſté, & que la complaiſance, que vous aurez de faire, ce qu'Elle vous demande, pourra contribuër, à Vous le faire obtenir plus facilement.

Je ſouhaitte que Votre Republique n'en ait ja-

jamais beſoin, & qu'Elle jouïſſe d'une conſtante proſperité.

Fait à Francfort ce 17. Decembre 1704.

## B.

# Friederich
## König zu Preuſſen ꝛc.

WIr haben Zeit unſerer Regierung Uns verſchiedentlich bey Euch beworben/ umb für unſere Glaubens-Genoſſen / die Evangeliſch-Reformirte das exercitium Religionis, in Eurer Stadt zu erhalten / allermaſſen Euch unentfallen ſeyn kan / was wir hiebevor (a) deshalben an euch gelangen

(a) Exſtat breve aliquod ſcriptum ab illuſtribus Legatis Regis Pruſſiæ Senatui Francofurtenſium oblatum, in quo jura Reformatorum, quibus eis libertas ſacrorum competit, ſolide aſſeruntur, & quæ olim contra ea productæ ſunt, exceptiones curate ſolvuntur. Titulus libelli, quem fortaſſis tecum communicabimus alias, hic eſt. Gründliche deduction cum rationibus dubitandi & decidendi der Evangeliſch-Reformirten zu Franckfurt am Mayn jura und Befügniſſe zu einer Kirche in der Stadt betreffende: Welche von ſeiner Königlichen Majeſtät in Preuſſen

gen laſſen / und Wir dannenhero ohnnöhtig erachten / Unſere zu dem Ende Euch gethane Vorſtellungen zu wiederholen. Wahr iſt es ohnedem daß Ihr / die bey dem Wercke gemachte difficultäten / und Schwierigkeiten / in Eurem vormahligen unterhänigen Antwortſchreiben durch einige motiven zu beſcheinigen bemühet geweſen. Gleichwie aber ſolche von gar geringen Gewichte ſind / alſo haben wir zu Euch das beſondere geneigtes Vertrauen / daß Ihr darauff nicht beſtehen ſondern vielmehr erwegen werdet / was vor ein groſſes die Reformirte Puiſſances, Engelland Holland / und Wir / dieſes Jahr für die Sicherheit des Reichs / und in ſpecie auch der Stadt Francofort gethan. Imgleichen was vor Avantages und Vortheile die Stadt bey dem Commercio, und ſonſten von den Reformirten genieſſet / und wie dieſe zu deroſelben Flohr
und

Geſandſchafft daſigen Magiſtrats Deputirten den 21. Decembr. 1711. zwar zugeſtellet / bißhero aber von demſelben unbeantwortet gelaſſen worden. Zu jedermans Notitz und unpartheyiſcher Beurtheilung herausgegeben ; a. 1711. 4. 2. plag.

und Auffnehmen faſt das meiſte contribuiren/ auch wie dannenhero überaus hart ſeyn werde/ Ihnen/ die einen GOtt und theuren Heyland und Erlöſer mit denen Evangeliſch-Lutheriſchen haben/ die Gewiſſens-Freyheit/ und exercitium Religionis, in der Stadt/ ſo doch denen Juden die der Stadt mehr ſchädlich als nützlich ſind/ concedirt wird/ zu verſagen. Welche trifftige Conſiderationen, nebſt Eurer Uns gerühmten moderation Uns nicht zweiffeln laſſen/ daß Ihr nunmehro Unſerm gnädigſten deſiderio Euch willfahrig bezeugen/ und mehrbeſagten Reformirten/ das exercitium Religionis in der Stadt verſtatten/ auch Ihnen zu Erbauung einer Kirche einen Platz anweiſen laſſen werdet.

Geſtalt Wir dann ſolches hierdurch nochmahlen Euch gnädigſt anſinnen/ und Euch dahingegen nicht allein in allen Vorfallenheiten Unſerer Aſſiſtentz und propenſion, ſondern auch dabeneben verſicheren/ daß obgemeldete Reformirte Puiſſances durch die von Euch hierunter erwartende Willfahrigkeit/ werden bewo-

wogen werden/ denen Evangeliſch-Lutheriſchen in Ihren Landen hinwieder deſtomehr Faveur und Gnade zu erweiſen ꝛc. Und Wir ſind ꝛc. Collen den 24. Novembr. 1704.

Friederich König in Preuſſen.

# C.

# Sophia Chur-Fürſtin ꝛc.

WIr mögen Euch nicht verhalten/ was maſſen Wir die zuverläſſige Nachricht erhalten/ daß verſchiedene Puiſſances ſo der Evangeliſch-Reformirten Religion zugethan/ bey Euch/ für die/ in Eurer Stadt ſich befindende Reformirte Gemeinde intercediret/ damit Ihnen eine Kirche/ innerhalb der Stadt Franckfort auf Ihren Koſten zu erbauen/ und Ihren Gottesdienſt darinnen zu halten vergönnet werden möge. Ob wir nun zwar der feſten Zuverſicht leben/ Ihr werdet in conſideration der hohen Puiſſancen (welche

che ſich beſagter Reformirten Gemeine Auffnahm/ beſonders angelegen ſeyn laſſen ) Ihnen das freye exercitium Religionis in Eurer Stadt concediren / und anbey erwegen/ daß alle ſolche Willfahrung die Reformirten Puiſſances zweiffels ohne bewegen wird / denen Augſpurgiſchen Confeſſions-verwandten/ in Ihrem Land / hinwieder deſtomehr Faveur und Gnade zu erweiſen. Allermaſſen es auch an ſich ſelbſt eine Sache iſt / die das Band der Liebe / und Einigkeit / zwiſchen beyderſeits Glaubens-Genoſſen verbinden / und das gute Vertrauen vermehren wird; ſo haben wir demnach keinen Umbgang nehmen wollen / Euch offterwehnter Reformirter Gemeinden Angelegenheit / auf daß beſte / hiemit zu recommandiren / nicht zweiffelnde Ihr werdet dem löblichen Exempel Unſeres Herren Sohns / des Chur-Fürſten Liebden / die da der Frantzöſich- und Teutſchen Reformirten Gemeinde in dero Reſidentz-Stadt allhier zwo Kirchen zu erbauen / erlaubet / nachfolgen. Wir werden hingegen bey vorfallender Gelegen-

genheit gerne erweiſen / wie Wir Euch und gemeiner Stadt mit ꝛc. geben Hannover, den 31. Decembr. 1704.

**Sophia Churfürſtin.**

## D.

EDele Heeren, Nademael niets de herten en gemoederen nauwer aen een anderen verbindt, als de gemeenſchap van Godts-dienſt, ſoo konnen wy niet afweeſen om by UEdlen te intercedeeren voor de invvonders van haare Stadt van Gereformeerde Religie, die met Ons een en t'ſelfde Geloof belyden, ten eynde aen deſelve gepermitteert mooge werden, een Kerke binnen Franckfort te bouwen, om aldaer de plichten van haeren Godts-dienſt te moegen oeffenen, en niet genootsaekt te werden, met veel ongemacks verre buyten de Stadt te Kerk te moogen gaen, gelyk tot nog toe hebben moeten doen. De Saek die wy verſoeken, kan tot niemandts naedeel verstrecken, en ſou naer alle apparentien veele voordeels aen U. L. Stadt toebrengen, dewyle de vryheyt, om binnen haere muyren een Kerke te moogen bouwen, en aldaer de Gereformeerde Religie te moogen oeffnen, het getall van haere inwoonders buyten twyffel sal vermeerderen, in welkers veelheyt

heyt t'welvaeren ,van een Landt en Stadt bestaet.

Verscheide Princen en Staaten in Duytsch-landt van d'Augsburgsche Confeſsie hebben derhalven in hare Landen en Staaten de oeffeninge van de Chriſtelyke Gereformeerde Religie toegeſtaen, als t'eenemael overeenkomende met de Chriſtelyke ,verdraegſaemheyt, insonderheyt dewyl het verschil, tuschen die van d'Augsburgſche Confeſsie en die van de belydeniſse der Gereformeerden in weinigh pointen bestaet: ook verſoeken wy niet het ghene wy ſelfs niet hebben toegeſtaen aen de ingeſeetene der Augsburgsche Confeſsie in onſen Staat, daerom wy eene reghtmaatige hoop en verwachtinge moogen hebben, dat U. L. aen onſe Geloofs-Genooten gelyke Vryheyt wel sullen willen accorderen en ſulks ſoo veel te meer, aengesien t'ghene wy verſoeken toegelaeten word, aen de Jooden, en wy van U. L. equiteyt niet konnen vertrouwen, dat deſelve minder ſullen toelaten aen Christenen, die met haer in weinigh pointen van't geloof verschillen, als van die ghene die van het Christen Gelooff vervreemt syn, en t'ſelve haeten.

Wy verſoeken derhalven ſeer vryndelyk en inſtandelyk U. E. aen die van de Gereformeerde Religie, binnen haere Stadt de verſogte vryheyt om tot Oeffening van haer re-

redelyken Godts-dienſt een Kerk te moogen bouwen, toetestaen.

En nademael wy neevens de Croon van Engellandt tot Conſervatie van de gemeene Vryheyt en Religie en tot verloſsing van Duytschlandt uyt het groot en evident Gevaer, dat aen t'ſelve boven t'hooft hingh, met een ongemeenen effort en yver ons goed en bloedt hebben gecontribueert, en die onſe efforten door den genadigen Seegen van Godt Allmachtig, van een goet Effect syn geweeſt, ſoo dat de ſaaken in Duytschlandt wonderlyk verbeetert ſyn, en U.L. Stadt int'beſonder door het eloigneren van den Vyandt in een meerder seeckerheyt gestelt is.

Soo leeven wy in de vaste verwachtinge, dat U.L. in eene ſo redelyke ſake als wy tegenwoordig verſoeken, aen onſe interceſsie plaets sullen willen geeven, t'welk ons aenmoedigen sal, om in Onſen yver voor t'gemeene, en in Onſe geneegentheyt tot U.L. en hare Stadt in 'tbeſonder, te volharden, en ſullen wy ons dies weegen aen U.E. ten hooghsten verplicht houden, gelyk het ons in teegendeel ſoude ſmerten, dat wy voor ſoo groote diensten als wy vermeynen aen Duytschlandt en aen U.E. Stadt gedaen te hebben, niet ſouden konnen obtineeren, een saek, die aen U.E. veel eerder voordeel, als nadeel kan geeven.

Wy

Wy verlaeten ons derhalven, op U. E. meermaels betuygde affectie, t'onswaerts, dat deſelve ons in dit ſtuk, t'welk ons ſeer ter herten gaat, niet ſullen weygeren, en in die verwagtinge eyndigende bevelen wy U. E. in Godes beſcherminge.

*In den Hage den* 10. *Novembr.* 1704.

## *E.*

## Carl 2c.

WIr ſetzen auſſer Zweiffel/es werde euch annoch wol erinnerlich ſeyn / was maßen wir bereits in vorigen Zeiten mehrmahlen ſo wol durch die Unſerige mündlich als ſelbſten ſchrifftlich an euch die angelegene Ahnſinnung gethan / daß ihr denen in euerer Stadt wohnenden Evangeliſch-Reformirten Bürgern und Einwohnern das Exercitium Religionis Reformatæ innerhalb euerer Stadt-Mauren zu verſtatten / und zu ſolchem Ende eine Kirche auf ihren Koſten zu erbauen einwilligen möget.

Ob uns nun wohl bißher hierunter keine willfährige Erklärung angediehen/ und wir dannenhero euch dieſertwegen

nochmahlen anzulangen billig in Bedencken gezogen; Nachdem wir jedoch die zuverläſſige Nachricht erlangt/ daß vorjetzo verſchiedene Puiſſances bey euch diſzfalls ihre Inſtantien erneuert/ und mit Vorſtellung ſehr trifftiger Momentorum dieſe euerer Stadt zum ohngezweiffelten auffnehmen gereichende Sache nochmahlen nachdrücklich recommandiret/ ſo haben wir auch unſers Orts nach der vor das Wolweſen euer guten Stadt bißher jederzeit getragener ſonderbahren propenſion und nachbarlicher Vorſorge nicht ermangeln wollen euch hierdurch aus auffrechter Wohlmeinung abermahls vorzuſtellen/ wie ihr nicht allein durch eine willfährige Erklärung hierunter denen obgedachten Evangeliſchen hohen Puiſſancen, welche ſich durch ihre dem geſamten Römiſchen Reich insgemein und euer Stadt ins beſonder/ ſo der bevorgeſtandenen feindlichen Subjugirung am nechſten mit exponirt geweſen/ ſo glorióſe und tapfermüthig geleiſtete Hülffe unter dem Seegen des Allerhöchſten ſo hoch meritirt gemacht/ ſondern

dern auch uns ſelbſten einen angenehmen Gefallen erweiſen / und noch mehrer Anlaß geben werdet / denen Evangeliſchen Augſpurgiſchen Confeſſions-Verwandten in unſern Landen noch weitere Gunſt und Gnade zu bezeigen. Allermaſſen wir dann ſelbſten in unſer Stadt Sieburg denen Evangeliſchen Lutheriſchen eine Kirche zu erbauen und eine Gemeinde aufzurichten noch kürtzlich die gnädigſte Privilegia ertheilet / ihnen auch ferner gelegenheitlich zu deſto mehrer Beſtätigung der brüderlichen Einigkeit zwiſchen beyderſeits Glaubens-Genoſſen allen möglichen Vorſchub zu thun geneigt ſind: In dem guten Vertrauen / ihr werdet auch eures Orts die hohe Vorſchreiben ſo mächtigerer Puiſſancen in dieſen noch nicht geendigten gefährlichen Läufften bey euch gültig / und nicht umſonſt angewendet ſeyn laſſen / ſondern vielmehr darauf reiffliche Reflexion machen und denen Chriſtlöblichen friſchen Exempeln ſo vieler Evangeliſch-Lutheriſchen Reichsſtänden nachfolgen / auch noch mehr denen Reformirten Gemeinden in eurer Stadt das freye Exer-

citium ihrer Religion und daß ſie ſich zu ſolchem Ende in deren Ring-Mauren Kirchen erbauen dörffen/ ohnweigerlich geſtatten. Wie wir euch dann hierum nochmahlen angelegentlich erſuchen/ und euch hinwiederum zu Erweiſung ꝛc. ꝛc. Caſſel den 17. Febr. 1715.

## *F.*

## Memoire.

LEs inconveniens que l'Egliſe Reformée de la Ville de Franckfort a eſſuié depuis longues Années par rapport à l'exercice publicq de ſa Religion, qu'elle n'a pu obtenir dans la ditte Ville, malgré le Traite de la Paix de Weſtphalie, les Conſtitutions de l'Empire, & la Charite Chretienne, ont de tems en tems obligé plusieurs Puiſſances, & entre autres Sa Majeſte de la Grande Bretagne & leurs Hautes Puiſſances les Etats Generaux des Provinces Unies à interceder auprés du Louable Magiſtrat de la Ville avec tout le zele & empreſſement poſſible pour qu'il y remediât, en aſſignant à la Commune Allemande auſſi bien qu'a la Françoiſe un endroit dans l'enceinte des Portes de leur Ville, ſur lequel elles

elles puſſent a leurs fraix batir un Temple pour l'exercice publicq de leur Religion.

Mais comme toutes ces interceſſions n'ont été d'aucune ſuite, & que cependant les dittes puiſſances ſont perſuadés que cette maniere d'agir n'eſt pas ſeulement tout à fait contraire a la Paix de Weſtphalie, aux Conſtitutions de l'Empire, a la Charité fraternelle, mais que même elle eſt fort à charge a ceux des membres de ces Egliſes qui ſont a leur aiſe, inſupportable à ceux qui ne le ſont pas auſſi bien qu'aux vieux & decrepis, outre que cela cauſe une grande incommodité aux Miniſtres des Puiſſances Etrangeres, tant a ceux qui y reſident ordinairement qu'a ceux qui y ſont envoyés de tems en tems ſoit pour aſſiſter aux Diettes des Loüables Cercles, ou pour traitter des autres affaires. Ainſi Sa Majéſté la Reine de la Grande Bretagne, & leurs Hautes Puiſſances les Etats Generaux des Provinces Unies ont ordonné a leurs Miniſtres ſouſſignés de repreſenter un peu plus particulierement & vivement, au College Electoral les Griefs, qui reſident dans la maniere ſurditte du Magiſtrat de Franckfort.

En quoy faiſant l'on poſe en fait que, lorsque dans le quinſieme ſiecle ſous le Regne du Roy Charles Cinquieme & de Philippe ſecond le Duc d'Alba & autres Gouverneurs ſuſciterent dans les Pais bas Eſpagnols

des Grandes perſecutions a ceux de la Religion Reformée, pluſieurs Familles ont mieux aimé ſubir le rude ſort de tout abandonner & de chercher un aſile dans des Pais etrangers que d'y croupir.

Que de ces Familles il y en a eu pluſieurs qui ſous la Conduite de leur Paſteur Volerandus Polanus ſe ſont rendues à Franckfort ſur le Mein l'an 1554.

Que ce dit Paſteur Volerandus Polanus conjointement avec les Familles ſus dites ne furent pas ſeulement receus dans la Ville par le Loüable Magiſtrat, d'alors, mais qui plus eſt, il leur fùt accordé une Egliſe pour y faire l'exercice publiq de leur Religion cum omnibus juribus Parochialibus, la quelle Egliſe ils ont poſſedé depuis lors juſques en l'An 1561.

De maniere que par cet Acte de; Contractus vel quaſi, aut Conventionis, Privilegii aut Conceſſionis ou de quelle facon qu'on veuille le nommer, & par la poſſeſſion de ſept ans la ſusditte Commune Reformée a obtenu un jus quæſitum, quod ſecundum vulgaria nequidem a Principe auferri potuit, puis que de tels Contractus vel quaſi, Conventiones, Privilegia, Conceſſiones &c. ou de quelle maniere qu'on veulle les nommer renferment une obligation & ſunt quidem primò voluntatis, mais aprés la Concluſion ils deviennent neceſſitatis & obliga-

gatoires de part & d'autre ; de ſorte que le Loüable Magiſtrat de autre fois de la Ville de Franckfort n'etoit point en droit de depouiller la ditte Commune Reformée du droit qu'elle avoit acquis, & que le Magiſtrat d' à preſent agit contre l'inſtrumentum Pacis Weſtphalicæ & la Charité Chretienne de refuſer jusques à l'heure qu'il eſt à la Commune ſurnommée une place au dedans des Murailles de cette Ville, pour qu'elle put à ſes propres depens y conſtruire un Temple & y tenir l'exercice publiq de ſa Religion, ſuivant Conſtit. Pacis Religionis. §. Nachdem aber in vielen Frey-und Reichs-Städten ꝛc.

Et comme il a eté ſuffiſemment prouvé cy deſſus, que le droit d'exercer publiquement la Religion Reformeé dans la ditte Ville de Franckfort a été inconteſtablement accordé aux Reformés de ce même lieu, ex Capite Contractus vel quaſi Conventionis, Privilegii vel Conceſſionis &c. & qu'ils en ont eu la Poſſeſſion entiere & tranquille pendant quelques Années, il s'enſuit qu'ils ont été injuſtement depouillés de cette poſſeſſion & droit par le Magiſtrat d'alors, & que celui d' a preſent le leur retient encore contre toute equité d' autant plus parce que ſelon l'Art. 7. du dit Traitté de Paix, il a été arreté que en cas qu'il ſurvint quelques differents entre les Proteſtans qui compre-

prenent les Lutheriens & Reformés, ces mémes differents devoient etre demelés & decidés non comme il etoit reglé entre les Catholiques Romains & les Proteſtans en cas de diſpute ſecundum annum regulativum de l'Année 1624. Art. 5. §. 33. in prædicto inſtrumento Pacis, mais NB. ſecundum Pacta & Conventa und daß darůber alle Pacta und ſo ferner ſteiff und feſt gehalten ſolten werden / ſie ſeyen gedachter obſervantz conform oder entgegen / quæ Pacta illibata ſervari debent.

Si bien que les ſousſignés ont ordre de requerir le College Electoral de vouloir faire en ſorte que les Egliſes Reformées de Franckfort, aſſavoir, l'Allemande & la Françoiſe, ni les Miniſtres de leurs Maitres & autres Puiſſances Reformées, qui ſont obligés de s'y trouver continuellement tans pour le fait de Cercles que pour celuy d' autres affaires, ne ſoient plus reduits par Loûable Magiſtrat de la Ville Franckfort a ces incommodités contre le Traitté de la Paix de Weſtphalie, les Conſtitutions de l'Empire, & contre toute équité, mais que le dit Loûable Magiſtrat ſoit tenu d' aſſigner à ces Egliſes un endroit au dedans de leur Ville propre pour y pouvoir conſtruire un Temple, par la voye inductionis aut deciſionis, pour qu'elles y puiſſent tenir l'exercice publicq

blicq de leur Religion. Fait a Franckfort le 30. Septembr. 1711.

*Peterborough. Le Comte de Reghteren.*

# VIII.

# *ANEKDOTA QUÆDAM* Theologorum Reformatorum Lugdunenſium in Batavis, Ultrajectinorum atque Emdanorum, De Irenico *Joh. Duræi*, Theologi Scoti, conſilio & molimine *JUDICIA.* (a)

*A. Ju-*

(a) Rem non ingratam Lectori Irenophilo a nobis factum iri ſperamus, ſi ſubinde ea quæ in negotio pacis a JOHANNE DURÆO tanto cum ſtudio acta fuere, quorumque non pauca monumenta nondum edita in manus noſtras inciderunt, cum illo communicemus. Ita enim non ſolum nonnullorum animos ad idem concordiæ inter Eccleſias Proteſtantium opus, cujus tamen ſucceſſus optandus magis, quam ſperandus videtur, inſtaurandum aliquando acui atque inflammari poſſe credimus, ſed & paulatim ea congerentur quæ conſtruendæ olim pleniori ACTORUM DURÆANORUM hiſtoriæ inſervire queant, cujus nobis ſpem fe-

A.

# Judicium Facultatis Theologicæ in Academia Leydenſi.

CUm attento animo ſuperiorum temporum calamitates & miſerias, quibuscum Eccleſiis Evangelicis à primo Reformationis earum momento colluctandum fuit, intuemur, cum non ſolum acerbisſimas perſecutiones ab Antichriſto, & ejus ſatellitibus ſuſtinere coactæ ſunt, qui omnes technas, conſilia & vires in illis perdendis & opprimendis conſumſere; ſed irrito hactenus per Dei gratiam ſucceſſu, ſed & orto inter primos Reformationis Auctores triſti illo ſuper cœnâ Domini & verborum cœnæ recta intelligentiâ diſſenſu (qui primo exortu ſopiri & componi non potuit) propriâ culpâ inter ſe tam fœdum in modum ſunt diſtractæ & diviſæ: fieri non poteſt, quin toto animo ad hæc Dei judicia exhorreſcamus, atque

cit præſtantisſimus & ſæpius laudatus MOSHEMIUS T.d.H. Commode autem teſtimonia hæc hunc locum ſortiuntur, ut poſt inſigne teporis in caritate Chriſtiana ſpecimen, aliud laudabile fervoris ad reſarcienda fraternitatis inter Proteſtantes vincula ſincere tendentis exemplum ſtatim ſubſequatur, atque ita contraria juxta ſe poſita eo magis eluceſcant.

atque naufragium illud veritatis & charitatis, quo inter ſe colliſæ cernuntur, veris lachrymis deploremus: namque ad hoc disſidium Evangelii curſus, qui tam feliciter cœptus erat, fuit interruptus, ſcandala multiplicata, errores adaucti, charitas remiſſa, & Evangelii adverſariis anſa data nos irridendi & regnum ſuum iniquitatis ſtabiliendi.

Cumque ſuperba foret Babylon ſpolianda trophæis,
Bella geri placuit, nullos habitura triumphos.

Hoc unum nos ſolatur in hac calamitate, quod à partibus noſtris nunquam ſtetit, quo minus vulnus illud ſanaretur, pax redintegraretur, & diſſentientium fratrum animi ad piam concordiam componerentur, cujus rei teſtes ſunt tot inſtituta in hunc finem à Principibus colloquia, tot Doctorum noſtrorum ſcripta Eirenica, ac oblatæ ſæpius, ac præſertim ante funeſtum hoc bellum, quo tantum non Germania conflagravit, à noſtris Eccleſiis pacis inter partes conciliandæ honeſtæ rationes & viæ, quibus ſi aures præbuiſſent diſſentientes fratres, næ multo melius ſe res Eccleſiarum Evangelicarum in Germaniâ haberent, & tot miſeriis obviam itum eſſet? Sedquia quod factum eſt infectum fieri nequit & humiliari nos potius & confundi in nobis ipſis oportet ad conſpectum tantorum malorum, ut qui ipſi eorum cauſa fuimus: Chriſtiana

ſtiana charitas exigere videtur, ut easdem concordiæ rationes & vias ardentiore Zelo & pacatioribus animis repetamus ac inſtauremus. Nam ſi nobis omnia, quæ decet, agentibus res tam male, ut nunc ſunt, ſe haberent, ne ſpes quidem ulla ſupereſſet, poſſe illas fieri meliores; at quia ob noſtram ſocordiam & officii neglectum res adeo adverſæ ſunt & intractabiles, deſperandum non videtur de hoc ſtatu rerum, modo utrinque afferatur animus veritatis ac pacis amans, & paratus id, quod ſuperioribus temporibus omiſſum & peccatum eſt, corrigere, & ſanioribus conſiliis locum dare.

Quod cum jam ante aliquot annos Eccleſiarum Anglicanarum nomine & curâ inceptum fuiſſet, ob incidentes belli tumultus omitti & differri neceſſe fuit: quo factum, ut hactenus optatus ſucceſſus illius negotii, cujus non levem ſpem oſtendebat Colloquium Lipſienſe ab utriusque partis Theologis non infeliciter inchoatum, votis non reſponderit. Itaque non poſſumus non ſummopere laudare ſtudium & indefeſſos labores, quos renovandæ & repetendæ paci Eccleſiaſticæ inter diſſentientes fratres jam de novo juſſu earundem Eccleſiarum Anglicanarum ſibi imponi denuo paſſus eſt Clariſſimus Vir D. Joh. Duræus. Quia etſi hæc conſilia pacis cunctantius procedant, neque primo ſtatim momento fructum, qui ex iis ſperatur, oſtendant: tamen id

id ſemper comperitur verum, venire tandem aliquando pacem ſuper dignos, aut reverti ad minimum ad ipſos Angelos pacis, ut nunquam eos pudere debeat ſuſcepti tam pii propoſiti. Neque enim, quia celebrem illum conventum ſuperiori ſeculo Marpurgi à Sapientisſimo Principe Philippo, Landgravio Hasſiæ indictum, quo primi Reformatores componendorum disſidiorum, quæ inter illos gliſcebant, cauſa venerant, ſucceſſus deſtituit: Ideo fruſtra illa conſilia pacis ſuſcepta fuiſſe, aut non ſuo quodam tempore fructum editura cogitandum eſt. Ut enim agricola exſpectat ſpecioſum fructum terræ, patienter ferens, dum accipiat pluviam matutinam & ſerotinam; ita lux hæc juſtis ſata, ſpe & patientiâ exſpectanda eſt, dum miſerendi tempus adveniat, & populo ſuo reconcilietur Deus. Sæpe enim ſapienti Dei conſilio alteri generationi reſervantur, quæ præſens nauſeabunda faſtidit. Neque ſemper ſucceſſum optatum conſiliis etiam piis adſpirat Deus, ne ſapientia noſtra nobis ſit pro Deo, aut nimis tribuamus nobis ipſis, ut ita ſemper illud verum ſit, Eccleſiam conſiliis humanis non regi.

Quare etſi magnopere nobis probetur hoc inſtitutum, neque improbentur media ad hunc finem ſelecta, & modus etiam agendi hactenus ſervatus non diſpliceat; neſcio tamen, qui fiat, ut reſpicientes ad præteritorum temporum acerbitatem & ſcandala ex

con-

contentionibus illis data & accepta, & quod non caſte ſatis, ut inter Chriſtianos oportuit, habita ſit veritas, quæ nec hodieque reſederunt mala, juſtus metus ſubeat cogitandi, ne nondum hæc ſementis tam lætis auſpiciis capta, matura ſit ad plenam meſſem. At vero quia aut cum nullis, aut certe cum hiſce fratribus, cum quibus hactenus hæc tela texitur, pax ineunda, & omnibus, quâ licet, viis, ambienda, atque etiam fugiens proſequenda, (utpote quos ejusdem ſpei participes, eorundem bonorum operum Zelatores, & ſi citra odioſas illas exaggerationes & conſequentias res ipſa puro oculo ſpectetur, atque ex iis modo, quæ in confesſionibus utriusque partis leguntur, dijudicetur, eundem circa præcipuos fidei articulos ſenſum nobiscum fovere, pie præſumimus & credimus) non audemus tamen nobis certo polliceri, rem tantæ molis & tam lenti moliminis ad optatum eventum perduci poſſe, niſi hæc duo præmittantur, quæ maxime hic ut neceſſaria in anteceſſum requirimus, ut primo ſcilicet ſicut de noſtris factum, ita & adverſæ partis explorentur animi ſuper toto hoc negotio, ut quid ab illis exſpectandum nobis ſit, & an parili congreſſu conſilia pacis nobiscum explicare, illis animus ſit, ante conſtet: Deinde etiam ut Principum & Magiſtratuum utriusque partis imploretur ad hanc rem conſilium & conſenſus, quia illorum partes ſunt,

Evan-

Evangelicorum conventum indicere; ſumptus in illam rem ſufficere, modum rei agendæ adhibitis Viris doctis & pacificis in conſilium præſcribere, conſiliis, quæ ibi agitabuntur, intereſſe, & omnia ad optatum finem dirigere. Qui & rogandi erunt, ut in ditionibus ſuis præparatorios conventus indicant, preces publicas in hunc finem populis ſuis præſcribant, Theologorum odia componant, & ferociorum animos, quantum ejus fieri poterit, ſanis conſiliis emolliant, & ad pacis amorem inflectant, præcipue vero id curent, ut interea temporis à contentionibus & amaris ſarcaſmis, convitiis, & odioſâ illâ ſententiæ adverſæ partis exaggeratione & deformatione pro ſuggeſtibus abſtineatur, quo ita omnium animi paci Chriſtianæ præparentur, & Syncretiſmo præparatorio via ſternatur.

Quod, ni ſpes ſit obtineri illud à Magiſtratu poſſe, ſpes omnis conciliationis ſimul decollaverit, & fruſtranea erit, quæ hactenus tanto molimine & conatu à noſtræ partis hominibus poſita eſt opera.

Quare hæc noſtra eſt ſententia, ſerio & omnibus animi viribus in hoc porro incumbendum, & hoc agendum unice, ut præcipuorum Auguſtanæ Confeſſioni additorum Theologorum animi ſolerter prætententur, &

Principum & Magiſtratuum ſuper hoc negotio voluntas exploretur, ut certo conſtare poſſit Eccleſiis Reformatis, an quam adverſa pars ſibi certo de noſtris polliceri poteſt, in hac re promovendâ promptitudinem & alacritatem eandem quoque nobis de eorum voluntate certo ſperare & animo præcipere liceat. Quod ſi Reformato orbi bonum hoc noſtro tempore Deus pro immenſâ ſuâ miſericordiâ reſervavit (quod ut velit, omnibus votis eum obſecramus) atque ſpes aliqua promovendæ pacis Eccleſiaſticæ tam neceſſariæ Eccleſiis Evangelicis & utrique parti tam ſalutaris effulgeat; recipimus & ſpondemus, nos quod attinet, non defuturos nos tunc partibus noſtris, neque Eccleſiarum bono, ſed quicquid in nobis eſt, conſilii, ſpiritus, eruditionis & charitatis pro modulo noſtro & menſurâ gratiæ à Deo acceptæ prompte, ſincere & alacriter collaturos, & re ipſâ demonſtraturos, quantus nos teneat concordiæ amor, & quantopere geſtiamus videre pacem Sionis. Deus pacis & concordiæ compingat nos omnes in unum ſenſum, ut idem & loquamur omnes, atque ita evitato ſophiſmate ſtudeamus ſervare unitatem Spiritus per vinculum pacis. Quod ſi neque ſtatim, neque perfecte aſſequi detur, ne propterea animum deſpondeamus aut deſperemus de auxilio Dei, non denegantis iis Spiritum, qui

ipſum

ipſum invocant in veritate, & ſi forte aliter quid ſentiamus, id liberaliter revelantis, modo tantum in eo ad quod pervenimus, eâdem incedamus regulâ, & alii alios obſervemus, ut ſi qui langueſcant, eos exſtimulemus ad charitatem & bona opera.

Quam mentem ut iis omnibus, qui pio huic negotio manus admoverunt, & ad quorum curam hoc ullo tempore pertinebit, aſpiret Deus, ſupplices eum & animitus rogamus, oramus.

*Datum Lugduni Batavorum poſtridie Calendas Novembris, Anno Chriſti ab exhibita Salute MDCLVI.*

S. S. Theologicæ Facultatis Profeſſores in Academia Leidenſi.

Abrahamus Heidanus.
Johannes Coccejus.
Johannes Hornbeck.

# B.

## Judicium Facultatis Theologicæ Academiæ Ultrajectinæ.

UT quondam Evangelicus Propheta, cum ſibi ſub læta imagine liberationem ex captivitate Babylonicâ in Judæa annunciantium Apoſtolos & Evangelii in N. T. Miniſtros liberationem ex ſpirituali captivitate Diaboli nunciantes in Spiritu videret, dicebat: Quam ſpecioſi ſunt ſuper, montes pedes Evangelizantis, publicantis pacem, Evangelizantis bonum, prædicantis ſalutem, dicentis Zioni: Regnat Deus tuus, Jeſ. LII. 7. Ita hodie, poſtquam vidimus eos, quos Dominus ex Babylonica captivitate Papatus ante ſeculum, & quod excurrit, eripuit & ad pacem ſuam vocavit, pacisque filios eſſe voluit, Satanæ aſtu & corruptæ carnis ſeductione, miſerabili diſſidio à ſe invicem divulſos, ſe mutuo oppugnaſſe, & Antichriſto, ejusque miniſtris optatam ſui infeſtandi, perdendi, Evangelium rurſus obſcurandi, & verbum Dei ſub modio occultandi occaſionem præbuiſſe; merito dicimus: quam ſpecioſi ſunt ſuper montes & in viis publicis pedes conſilia pacis inter Evangelicos diſſidentes agitantium: fratresque diſcordes ad concordiam reducere, & odi-

odiis atque inimicitiis e medio ſublatis, fraternam mutuamque charitatem à Chriſto nobis tantopere commendatam reſtaurare ſatagentium.

Horum de numero non poſtremus eſt Reverendisſimus & Celeberrimus Vir D. Joh. Duræus, qui cum ante hac laudabilem ſuum hac in re conatum & zelum oſtendiſſet; nunc delegantibus Ieſu Chriſti in Academiis & Eccleſiis Angliæ Miniſtris aliquamdiu intermiſſum opus reſtaurare aggreſſus ad nos etiam venit: nobisque & ſcopum ſuum propoſitum & media eô ducentia & modum agendi, quem ad obtinendum per iſta media ſcopum præſtitutum convenientem judicaret, quidque jam hoc in negocio, tum apud alios Principes & Magiſtratus, tum & apud Theologos Evangelicos egiſſet, ac profeciſſet, candide expoſuit, & fraterne communicavit, rogans, ut & noſtrum eâ de re ſenſum non gravate vellemus proferre, quæque veritati & paci ſtabiliendæ maxime conſentanea hoc tempore judicaremus conſilia promere, aliarumque Academiarum & Eccleſiarum Reformatarum exemplo auxilium & concurſum noſtrum in re ſuo tempore ad umbiculum perducenda promittere.

Cui honeſtiſſimæ petitioni ut ſatisfaciamus, teſtamur infra ſcripti S. Theologiæ in Academiâ Ultrajectinâ D.D. & Profeſſores, nobis adventum & inſtitutum Reverendi Viri & fra-

tris in Chriſto dilecti, Johannis Duræi fuiſſe gratisſimum, & quæ de eo nobis legenda exhibuit, & ore explicuit, ſummopere placuiſſe. Et noſtra, ſi quid ad tam præclarum inſtitutum promovendum facere posſit opera, eam, ut ex officio tenemur, nos libenter collaturos eſſe recipimus, & patentibus hiſce literis declaramus, manuumque noſtrarum ſubſcriptione confirmamus. Putamus enim omnino, tantum in capitibus Religionis Chriſtianæ inter Proteſtantium, ſeu Evangelicorum Eccleſias, quamvis in aliquibus diſſentientes, eſſe conſenſum, ut qui doctrinæ & veritati utrinque receptæ, quam Harmonia Confesſionum exhibet, fidem moresque conformant, ejusdem Dei Patris, Filii ejusdem Chriſti Servatoris populus, ejusdem corporis myſtici membra, ejusdem Spiritus S. Templa, ejusdem misſionis participes, & ejusdem vitæ æternæ hæredes ſint, ac proinde omni odio, lite & maledicentiâ, condemnatione & perſecutione procul habitis, fraternam inter ſe communionem colere & conſervare ad mutuam ædificationem, & communis cauſæ ac veritatis contra communes adverſarios defenſionem, communem operam conferre, & in reliquis Chriſtianam & fraternam tolerantiam excercere debeant: quam ad rem nobis quam maxime placeret, ut ſub auctoritate & ductu Principum & Magiſtratuum Evangelicorum ab Academiarum & Eccleſiarum utriusque partis delegatis

ſo-

ſolennis aliquis conventus in loco aliquo ad hanc rem opportuno celebraretur. Delegatos autem vellemus eſſe non perſonatos, aut rerum Theologicarum imperitos qui velut ad ludum aliquem Hiſtrionicum convenirent, non φιλοπρωτεύοντες, qui ſe & ſua quærerent aut agerent, ſed Viros ſolide doctos, pios & pacificos, quorum doctrina & virtus, pacis & ſtudium, & prudentia Eccleſiaſtica variis occaſionibus explorata eſſet: qui ſic in nomine Dei congreſſi ſincero animo, coram Deo & Chriſto ejus, de mediis conciliandæ & ſtabiliendæ pacis Eccleſiaſticæ inter ſe deliberarent & conferrent, & quæ concepiſſent Delegantibus quique ſuis communicarent. Hâc ratione aliqua ſpes nobis eſſet, Deo benedicente, renovandum, & ſancte impoſterum conſervandum ejusmodi inter Evangelicas Eccleſias Syncretiſmum, qualis non ſolum ſuperiori ſeculo in Colloquio Marpurgenſi inter Zwinglium & Lutherum, & præſenti ſeculo in Colloquio Lipſienſi inter Saxonicos, Brandenburgicos & Haſſiacos Delegatos, ſed absque optato ſucceſſu, verum etiam inter Eccleſias Evangelicas Polonicas in Synodo Sandominienſi Anno Chriſti MDLXX. 14. Aprilis cum optato ſucceſſu initus, ac deinceps conſervatus fuit.

Quod ut fiat, Deum pacis rogamus, ut Spiritum pacis in omnes Evangelicos, ac præſertim in Principes, Magiſtratus & Theologos Proteſtantium magis magisque effundat, &

 cum

cum Spiritu Pacis Spiritum cognitionis & ſapientiæ, Spiritum Conſilii & Chriſtianæ prudentiæ, Spiritum denique non ficti timoris ſui, ut hujusmodi negotium recte inchoari, promoveri, & ad optatum finem perduci poſſit: Ipſi cumprimis D. Duræo vitam, ſanitatem, & corporis animæque vires conſervet, & felicem conatuum & laborum pacificorum ſucceſſum, optatumque finem videre concedat: Satanam turbatorem pacis ſub pedes noſtros cito conterat, omnesque ipſius ſatellites, pacis oſores, aut convertat, aut impœnitentes perdat, ab eisque Eccleſiam ſuam liberet:

Quo ſic Evangelici omnes μιᾷ ψυχῇ συναθλῶσι τῇ πίςει τοῦ ἐυαγγελίου, καὶ ἀληθέυοντες ἐν ἀγάπῃ αὐξήσωσιν εἰς αὐτὸν τὰ πάντα ὅς ἐςιν ἡ κεφαλὴ ὁ χριςός. Amen.

*Scribebamus Ultrajecti Anno gratiæ ſalutiferæ M DC LVI. d. VII. Kal. Octobris.*

Gisbertus Voetius.
Andreas Eſſenius.
Matthias Nethenus.

# C.

# Declaratio Miniſterii Emdenſis.

## S. P.

*Admodum Reverende, Clariſſime & Doctiſſime Vir, frater in Chriſto plurimum Honorande,*

PLacuit R. T. inter alias Eccleſias Reformatas, quas vel ipſemet adiiſti, vel miſſis ad eas literis conſuluiſti ſuper inſtituto tuo, de Syncretiſmo religionis inter Reformatos ac Lutheranos conciliando, ante multos jam annos à te agitato, poſtea intermiſſo, & nunc authoritate politicâ pariter atque eccleſiaſticâ, renovato, nos quoque Eccleſiæ Embdanæ miniſtros ſalutare, judiciumque noſtrum explorare. Quamvis autem ignarus eſſe nequeas judicii noſtri ſuper hoc negotio: ſiquidem ante aliquot annos, quum ex Suecia redux, hac tranſires, nobisque, ex parte adhuc vivis, exponeres, quid tibi in Suecia acciderit, quidque Hamburgi tibi datum fuerit reſponſi, ad tuam de Syncretiſmo illic factam propoſitionem, illud ſatis cognoviſſe potuiſti: nihilominus tamen quum id ipſum nunc ſcripto quoque à nobis requirere volueris, eumque in

ſinem ſenſum inſuper aliarum Eccleſiarum Reformatarum, & in ſpecie Helveticarum, nec non Genevenſis, judicia nobis transmiſeris, nec voluimus nec debuimus noſtro quoque deeſſe officio, ſed paucis ſenſum ac conſenſum noſtrũ ſuper inſtituto tuo pio tibi cõmunicare. Quum enim Servator noſter Princeps ille pacis, beatos prædicet & pacificos & pacificatores, nemo ſane pacis amans illud jure meritoque improbare poteſt. Proinde ſcopum tuum, & ſimul etiam zelum tuum atque laborem tuum, quem tum apud Lutheranos tum apud Reformatos, hactenus in hoc negotio impendiſti, probamus ac laudamus. Antequam vero de modo agendi quicquam dicamus conſultum eſſe judicamus de poſſibilitate rei ipſius non nihil præfari. Fruſtra enim de modo agendi diſſeritur, ubi de poſſibilitate rei non antea conſtat ac convenit. Prima itaque quæſtio ſit, An ullo modo fieri poſſit, ut Reformati cum Lutheranis aliquam eccleſiaſticam iisque omnibus absque diſcrimine concordiam eamque conſtantem inire queant? Quæſtionem hanc movemus, quia illam in Ræ. Tæ. miſſis ad nos ſcriptis videmus intactam: ratio autem dubitandi eſt, quia jam inde ab initio Reformationis, hæc ipſa concordia tentata quidem fuit, ſed hactenus ſalutarem eventum nanciſci nondum potuit. Etſi enim anno 29. ſuperioris ſeculi, Marpurgi, ſtudio Landgravii, inter

Lutherum & Zwinglium, aliqua concordiæ ſpecies fuerit concepta, non tamen fuit illa talis, ut Lutherus noſtros pro fratribus voluerit agnoſcere, (ut ſui gloriantur) nec diu ſtetit illa ſed brevi in fumum abiit: licet tum temporis nulla alia fuerit ac manſerit controverſia inter ipſos, quam illa de modo præſentiæ corporis Chriſti in S. Coëna, de qua etſi poſtea viſa fuerit concordia fuiſſe inita Wittenbergæ anno ejusdem ſeculi 36. idque authore Bucero, qui ſtudio pacis, tum temporis adverſariis plus æquo conceſſiſſe fuit viſus & à noſtris judicatus; nec illa tamen fuit rata, ſed ab ipſo Luthero, dolente Melanchtone, paulo poſt rupta, qui, quo noſtri erga ipſum fuere mitiores, & ad concordiam propenſiores, eo ille ſe noſtris præbuit duriorem, & ad concordiam conſervandam adverſiorem, quemadmodum ex hiſtoriis utriusque partis ſatis eſt notum. Quid itaque nunc expectare poſſumus ab illis Lutheri diſcipulis, quibus Lutherus ſuus eſt Theander ac cœleſtis Propheta, quique errores ab ipſo agnitos ac poſtmodum rejectos pro oraculis recipiunt ac revocant; qui nihil habent ſpiritus, ſed multum carnis Lutheri, atque adeo plerique ſunt homines ſuperbi, oſores pacis ac veritatis: qui nos habent pro pesſimis hæreticis quibuſcum nulla modo pax iniri queat, quibusque neque hoſpitia vivis, neque cemiteria mortuis conce-

ce-

cedenda judicant: &c. quales pleroſque eſſe Lutheranos imprimis, ubiquitiſtas, nulli non notum eſt. Proinde diſtinguendum eſſe exiſtimamus inter Lutheranos moderatos ac pios, qui & ipſi pacis ſunt amantes ac ſtudioſi; & inter Lutheranos crasſiores, qui monſtroſum ſuum dogma ubiquitatis mordicus defendunt, nullamque nobiſcum concordiam inire volunt, niſi veritate abnegata errores ſuos recipiamus, quique non deſinunt in nos non tantum, ſed etiam in ipſos Lutheranos moderatiores linguas pariter ac ſtylum ſuum quotidie acuere. Cum iſtis moderatioribus ſcil: pacem Religionis inire, excolere atque conſervare, non ſolum posſibile, ſed etiam neceſſarium eſſe judicamus; & hi ipſi parati videntur ad juvandam & excolendam nobiscum mutuam concordiam ac fraternitatem, uti ex editis ab ipſis ſcriptis ſatis eſt notum. Cum his itaque agendum, vel ſaltem initium faciendum putamus Syncretiſmi. Cæteros quod attinet, ſufficit jam olim, uti et nunc, Deo atque piis omnibus innotuiſſe, per nos non ſtare, nec ſteriſſe unquam, quo minus pax & concordia inter nos & illos ſit inita atque culta. Cum hiſce obſtinatis adverſariis, hominibus turbulentis, atque contentioſis, ſæpe tentatam ſemperque ab ipſis rejectam pacem Religionis iterum atque iterum repetere, nihil aliud eſt quam Siſyphi ſaxum volvere, &

cra-

crabrones magis ac magis irritare. Relinquendi illi potius ſunt, donec Deus illis det meliorem mentem: Rogandusque eſt Deus pacis, ut cogitationes pacis illis quoque velit infundere, quo & ipſi aliquando reddantur mitiores, & ad concordiam propenſiores. Neque enim pax ab unâ parte poteſt confici ac coli: pacis negotia ab utraque parte expetenda ſunt & pari paſſu proſequenda, ſi integram eam velimus ac ſolidam, non fucatam aut damnoſam. Qui inter Lutheranos ſunt moderatiores, ſunt illi quidem pauci reſpectu reliquorum: ſunt tamen plures, quam vulgò putatur. Habemus tales non paucos in hac noſtrâ Friſiâ, de quibus non dubitamus, quin ſi alii majoris auctoritatis ac facultatis præcederent, hi illos eſſent ſequuturi. Tales ſunt quoque alibi, ſed; â dominante turba jacent oppreſſi, ut non audeant capita ſua exſerere, donec illis à viris Principibus ac Magiſtratibus aliisve politicis potentioribus (qui hic ſæpè proniores ad concordiam fuêre inventi, quam plerique Eccleſiaſtici) ſuccurratur. Hæc de posſibilitate Syncretiſmi deque perſonis, quibuscum ille iniri queat ac debeat præfari libuit. Quantum nunc attinet modum procedendi in conciliatione talis Syncretiſmi, in illo parva eſt difficultas, ſiquidem cum ejusmodi Lutheranis tractatio inſtituatur, qui & ipſi ad illum propendent, & mentem ſuam ſuper

illo

illo conficiendo ſcriptis publicis jam dilucide ſatis ac ſincere aperuerunt. Inter quos imprimis laudandus eſt Dominus Calixtus, qui in edito ſuo, de controverſiis theologicis inter Lutheranos ac Reformatos, deque mutuâ partium fraternitate ac tolerantiâ, propter conſenſum in fundamentis, judicio, dextre ſatis ſe explicuit: qui & procul dubiò non paucos habebit diſcipulos ac pacis amantes ſocios, dummodo illis ſuccurratur. Hic primo utrinque hoc fundamentum ponatur fixum, quod Dominus Calixtus, concedit, quod nempe inter ipſos ac nos ſit conſenſus in fundamentis Religionis. Hoc enim poſito ac conceſſo facile, quæ ad conciliandam concordiam reſtant, illi ipſi ſuperſtruentur. Deinde hoc ab utràque parte flagitandum putamus, ut utrinque abſtineatur â convitiis ac invectivis & conciones potius applicentur ad uſum practicum, quam ad uſum elenchticum: quod poſtremum Lutheranis familiarius eſt quam nobis. Nos hic rari ſumus in refutandis erroribus Lutheranorum: & ſi in explicatione S. cœnæ neceſſario mentio facienda ſit, de ſenſu Lutherano ſuper verba Domini, non niſi honeſte Lutheri ac Lutheranorum meminiſſe ſolemus: Imo nomina plerumque reticentur, ſolaque interpretatio adverſariorum à nobis refutatur; idque non ſine magno fructu apud auditores noſtros. His præmiſſis ipſe modus agendi inſtitu-

tu-

tuatur, non in rixoſis diſputationibus, quibus ſæpe tentata res eſt, at fruſtraneo ſemper eventu, adeoque nihil profectum, ut fere in acriora certamina atque odia exierint hi conatus; ſed per placidam collationem ſententiarum utriusque partis. In quem finem non tam particularium doctorum ſententias, quam publicas Eccleſiarum disſidentium confesſiones & catechiſmos adhibendos eſſe cenſemus, ut ex illis articuli formentur tum conſenſus ad concordiam, tum diſſenſus ad tolerantiam mutuam, omninoque ad excolendam utrinque Chriſtianam ac fraternam charitatem. Exſtant jam utriusque partis confesſiones, & catechismus: exſtat quoque noſtra confesſio ut & catechiſmus, Reformatorum omnium forte antiquisſimus, Londini in Anglia, in uſum Eccleſiæ Belgicæ, jam ante annos centum typis excuſus: cujus utriusque copia, ſi opus fuerit, haberi poterit. An vero hic ſyncretiſmus ſit ſuſpendendus, donec ille Synodo aliqua generali conſtituatur (quod difficulter futurum exiſtimamus) an potius cum aliquibus Eccleſiis particularibus iisque præcipuis auctoritate publicâ ſit inchoandus? id prudentiæ tuæ, utpote jam diu ſatis in hac palæſtra exercitatæ relinquimus; Deumque pacis ex intimis cordium noſtrorum penetralibus rogamus, ut ſpiritus ſui gratiâ pios tuos conatus promovere & ad intentatum finem,

ad

ad Dei gloriam, atque Eccleſiæ, tranquil-litatem ac incrementum, dirigere eos di-gnetur. Amen. Dabamus Embdæ in con-ventu noſtro Conſiſtoriali, die 17. Martii 1656.

*Rev. Dignit. Tuæ.*

*Studioſiſſimi*

Samuel Ritzius,
Eccleſiæ Embd. mini-ſter Senior.

Johannes Penon,
Embd. Eccleſiæ Sym-myſta,

Gerhardus Schvvarte,
Paſtor Eccleſiæ Embd.

Frelitius Hulderici,
Eccleſiæ Embd. mi-niſter.

Bernhardus Barlage,
Eccleſiæ Embd. Paſtor.

Gerhardus Mettingh,
Paſtor Eccleſiæ Embd.

IX.

# IX.

# NOVA QUAEDAM Theologico-Hiſtorico-Literaria.

TIGURINA Eccleſia ante aliquot menſes amiſit Antiſtitem ſuum, Virum pietate & meritis in rem Chriſtianam inclytum, PETRUM ZELLERUM (*a*). Natus fuit anno ſuperioris ſeculi 1655. Inter Verbi Dei Miniſtros juvenis admodum viceſimo ætatis anno receptus & triennio poſt in pago Cantonis Tigurini (*Schvvanden vocant*) ad munus eccleſiaſticum eſt admotus. Mirifice in fatis ejus nu-



(*a*) *Zellerorum* non ignobilis apud Tigurinos pietate & meritis in Remp. Chriſtianam familia eſt. Ortum ex ea traxit *Joh. Henricus Zellerus*, Profeſſor Tigurinus, cui quantum *Joh. Henr. Heideggerus* debuerit ex hiſtoria vitæ ejus §. 10. conſtat. Nec pietas hic permittit ſilentio præterire avum meum maternum *Joh. Jac. Zellerum*, noſtri patruum, Comitatus Lippiaci Superattendentem Generalem, cujus pietati & ſtudio debetur liber ritualis Eccleſiæ Reformatæ in eodem comitatu ſeu: Chriſtliche Kirchen-Ordnung der Graffſchaft Lippe/ ab eo compoſitus & publicatus Lemgoviæ 1684. 4. ejusque potiſſimum cura introductus, qui præ aliis ejusce generis conſtitutionibus apud noſtrarum partium Theologos in pretio eſt. F. A. L.

numerus ſeptenatius luſit. Septem enim annis in cœtu *Schvvandenſi*, totidem alios in *Biltenſi* Evangelium prædicavit. Inde A. C. 1692. Tigurum ad Diaconatum in Æde primaria D. Virgini quondam dicata evocatus eſt. Elapſo ſeptennio Paſtoris in eadem æde partes ſuſcepit: quibus per duo alia ſeptennia defuncto A. 1713. grave Antiſtitis eccleſiarum Tigurinarum onus eſt adjectum. Illud cum per dimidium ſeptennium fideliter adminiſtraſſet, in ipſo nono peregrinationis ſuæ terreſtris ſeptenario, anno ſcilicet ætatis ſexageſimo tertio, quem climactericum magnum appellitare ſolent, Chriſti vero 1718. XIV. Kalendas Apriles Spiritum ſuum Deo reddidit.

LONDINO ex Anglia ſcribitur *Tolandum*, Adæſidæmone ſuo, aliisque ſcriptis fundamenta fidei ſalutaris arietantibus famoſum, peſtilens aliud eodem conſilio edidiſſe, cui titulum fecit: *Nazarenus, ſive Chriſtianiſmus Judaicus ethnicus & Muhammedicus* &c:

FRANCOFURTI ad Viadrum deſignatus nuper SS. Theologiæ Profeſſor J. A. NOLTENIUS appulit, munusque non tantum eccleſiaſticum, explicato pro concione dicto 2 Cor. IV. 5. quæ homilia una cum valedictoria ſub prelum datur, ſed & Academicum d. 26. Julii habita oratione de *Theologo modeſto* bonis avibus exorſus eſt. Collega ejus Celeb. OUZELIUS in *Decalogum* commentari cœpit, binasque diſſertationes eo ſpectantes jam publici juris fecit.

CAS-

CASSELLIS cum faſciculo II. p. 193. obiiſſe Virum Pl.R.Ph.Ott. VIETOREM Lippiacum, nunciaverimus, lubet nunc addere quædã ſpecialiora de curriculo vitæ & ſcriptis ejus, quæ poſtmodũ ad noſtras manus pervenere. Natus eſt A. C. 1646. d. 24. Martii, Patre Joh. Henr. Vietore, Quæſtore comitis Lippiaci Schaumburgico, matre vero Anna Margareta Gentersberg Archiatri Comitis Lippiaci filia. Studio Theologico cum ſe tradidiſſet, illi heic Bremæ ita incubuit, ut 1667. in numerum Candidatorum Miniſterii receptus ſit. Dein Groningam ſe contulit MARESIOQUE & ALTINGIO in deliciis fuit. Prioris commendatione munus eccleſiaſticum apud legationem Ordinum Belgii ad Imperatorem Romanum ipſi demandatum eſt. Biennio poſt Norimbergam vocatus eſt & inde A. C. 1673. Rinthelium. Quo cum per Caſſellas tenderet, loco Rinthelenſis ſtationis alia in ipſa Caſſellarum Neapoli ei demandata eſt. Elapſo triennio A. 1676. a Sereniſſima Landgravia, tutrice tum temporis, poſtulatus eſt, ut ſibi a concionibus aulicis eſſet. Demum A. 1699. Superintendentalis dignitas ei eſt collata. Nuptias bis celebravit. Ex priori connubio filius & filia, ex poſteriori tres filii adhuc ſunt ſuperſtites. A. C. 1709. apoplexia tactus eſt, a qua quamvis eo usque reſtitutus, ut biennio adhuc, quamvis difficillime, munere ſuo fungi potuerit, virium

tamen tanta proſtratio eſt ſecuta, ut reliquum vitæ tempus lecto affixus exigere neceſſe habuerit, donec ipſis Calendis Januarii labentis hujus anni, ætatis ſeptuageſimo primo & quod excedit, exſtinctus eſt. Scripta, quæ reliquit, ſequentia ſunt:

1. Safft und Krafft der Sonntäglichen Evangelien. 4.
2. Feld-Predigten ſamt andern dabey gefügten Predigten. 4.
3. Erklärter Heidelbergiſcher Catechiſmus. 4.
4. Gläubiger Seelen Kampffplatz: 8.
5. Leben Davids. Erſter Theil. 4.

FRANCOFURTI ad Mœnum Celeberrimi MIEGII, Profeſſoris Heidelbergenſis *Harmonia Evangelica* prælo mandata; quam avide exſpectant, qui Viri in Hiſtoria & Chronologia ſacra reconditam eruditionem norunt.

LEMGOVIÆ in Comitatu Lippiaco ſuperiori anno Vir doctiſſimus Joh. Conr. CLASINGIUS Superintendens & eccleſiæ R. Lemgovienſis Miniſter, Tractatum conſcripſit, cui Titulum præfixit: ΔΙΑΣΚΕΨΙΣ de *Unctione ſacra Typicoumbratili, vero ejus implemento juxta œconomiā temporum, admixtis Judæorum, Chriſtianorū ac Gentilium variis ac notabilioribus ritibus*. 4. Conſtat paginis 351. præter præfationem & indices. Promittit in præloquio Tractatum alium *de Angelo facierum, in cujus medio nomen Jehovæ eſt*. Exemplum hujus diſſertationis Cl. Author miſerat ad D. *Joh*. MEYERUM, popularem ſuum, Profeſſorem Harderovicenſem, ſimul rogans

gans, ut judicium ſuum de eâ libere expromeret. Præſtitit id Cel. MEYERUS publicatis duabus philyris minuto charactere impreſſis, quarum titulus eſt: *Joh. MEYERI Animadverſiones in diſſertationem de unctione ſacra Exod. XXX. Lemgoviæ Anno* 1717. *editam. Harderovici* 1718. 4. Duabus partibus hæc criſis conſtat: in priori XXIV. circiter loca notantur, in quibus CLASINGIUS aliquid humani MEYERO paſſus videtur: dein pergit ad hypotheſes, à quibus ſe diſſentire fatetur, in quibus multa quoque ab Authore negligentius dicta taxantur. Diſplicebit procul dubio hæc cenſuræ methodus CLASINGIO, nec amice ſatis ſecum actum putabit, cum procul dubio criſin tantũ privatam per epiſtolam ambiret, quod impreſſo publice ſcripto in apricum producti ſint, quos ille errores eſſe putat. Et dubitamus, an ei ſuffecturæ ſint rationes ita inſtituendi, quas Cel. Author his verbis dat: „Animum etiam „induxi meum hæc typis committere, partim „ne antiquitatis ſtudioſi, inprimis noſtri po„pulares, in quorum manibus liber tuus verſa„tur, amplioribus Bibliothecis non inſtructi, „hallucinationes quasdam cœcis oculis præte„reant, aut iis in errorem inducantur,, partim „etiam, ut hæ noſtræ animadverſiones quoque „aliis Viris Doctiſſimis (abſit jactantia dicto) „aliquam lucem fœnerentur in rebus multis ob„ſcuris atque intricatis, de quibus in hunc uſ„que diem diſputatur.“ Quicquid ſit, imixtæ

ſunt huic criſi, quamvis ſuccincte, obſervationes philologicæ haut proletariæ. Sic p. 4. docetur *unctionem*, quæ fiebat oleo, & *adſperſionem* ſanguinis accurate eſſe diſtinguenda, contra ac à multis factum eſt; quod & iteratâ vice inculcatur p. 8. ſub finem. P. 5. tractatur quæſtio problematica: utrum *oleum ſanctum* ſemel tantum operâ & miniſterio Moſis fuerit confectum? atque id non abſonum eſſe ſtatuitur, quamvis miraculum intercedere oportuerit, ut oleum per tot ſecula ſine evaporatione duraverit. Ibidem in fine aſſeritur Exod. 30:24. *ſiclum ſanctitatis* diſtinctum fuiſſe à communi, quicquid etiam alii dicant, atque id liquere ex Exod. 30: 13. & computatione Exod 38:24. ſq. P. 6. diſputatur de *cornu*, in quo oleum ſacrum eſt adſervatum, quod *aureum* fuiſſe exiſtimatur. P. 7. contra *Claſingium* adſeritur, Davidem & Reges Judæ ex ejus ſtemmate *oleo ſacro* eſſe unctos, quæ eſt eadem hypotheſis, quam nos quoque data opera Exercit. in Pſ. XLV. VI. §. 25. adſtruximus. P. 9. docetur, quænam fuerint Prophetarum in unctionibus Regiis partes. P. 10. de *forma unctionis* Sacerdotalis diſſeritur & perhibetur eam non fuiſſe factam in modum circuli, ſed ad inſtar Γ Græci vel ד, ubi ſuperior literæ pars innuit oleum perfuſum in fronte, & inferior pars literæ oleum deſcendens inter palpebras. Sed annon potius hæc figura Latinum T expresſiſſet? P. 12. illuſtratur teſtimonium Talmudis Babylonici de diſcipulis

Jeſu

Jeſu. Multa alia ejusdem commatis à Viro in Judaicis antiquitatibus verſatisſimo obſervantur. Relatum interea nobis eſt Cl. Claſingium vindicias ſuæ diſſertationis novæ illius editionis prolegomenis inſerendas parare. A *Meyero* propediem tractatum *de feſtis Judæorum* multo auctiorem, & alium de *myſterio S. S. Trinitatis ex Cabbala Judæorum*, uberius quam olim in eruditisſima diſſertatione jam factum erat, demonſtrato avide exſpectamus.

LUGDUNI BATAVORUM Cl. WITTICHIUS, cujus de orthodoxia, quam acriter in Belgio diſceptatum ſit, *Faſciculi IV. Sectione Septima* narravimus, ad Profeſſionem Philoſophicam, quam morte ſua vacuam fecit cl. *Bernhardus*, eſt evocatus. Lites de Viro hoc motæ nondum plene ſunt ſopitæ, quas actu ipſo reſutandi auguſtisſimum jam theatrum nactus eſt. Comparuit denuo tractatus ejus defenſioni contra Cl. DRIESSENIUM deſtinatus ſub titulo: *Vindicatio nominis atque orthodoxiæ* WITTICHIANAE *a calumniis atque injuriis* Drieſſenianis *ex ipſa* Cl. WITTICHII *diſputatione* DE NATURA DEI *eruta; atque ex ejus* RESPONSIONIBUS *confirmata*, *authore Gr. V. Præfatiunculam præfixit T. H. van den* HONERT SS. Th. D. & P. *Lugd. Bat.* 1718. 4. 9. philyræ. Præfatiuncula brevis, ſed aculeata eſt, in qua promittuntur brevi *Repræſentationis Honertianæ vindiciæ*. Tractatus

ipſius Prooemium eo tendit, ut accuſationem Drieſſenianam, quæ non exigui merito momenti eſſe exiſtimatur, videlicet *lemmata*, quæ in recuſa Cl. WITTICHII diſſertatione ad marginem adjecta ſunt, *plane aliud dicere, quam quod eſt in textu*, infringant. Dein ad rem ipſam accedit, & tria potisſimum ſibi probanda ſumit. I. Cl. WITTICHII Diſputationem orthodoxam de Dei natura propugnare ſententiam. II. Scrupulos, quos movet Cl. DRIESSENIUS ejus naturæ eſſe, ut, ſi non multum præjudicata valeret opinio, eum amplius morari non poſſent. III. Copias *Drieſſenianas* in anguſtum eſſe coactas, quia multa, quæ præclare Cl. WITTICHIO ſunt reſponſa, altisſimo ſilentio premat. Author, quem ex præfatione eruditum juvenem eſſe conſtat, clare & concinne partes ſingulas pertractat, ingeniique & acuminis laude non eſt privandus. In ſtylo majorem deſideraſſemus moderationem. Maximum ſane & Theologi & Philoſophi decus eſt, ſi ipſa lenitate ſtyli commonſtret, ſe lumine rationis & Scripturæ ad coërcendos affectus ignobiliores feliciter eſſe uſum. Neque tamen omne punctum tuliſſe quamplurimis & præſertim Cl. DRIESSENIO videbitur. In ea ſaltem difficultate, quæ nobis viſa eſt maxima, nondum plene omne juſtam ſuſpicionem deterſit. Axioma illud Spinoſæ:

*Res*

*Res quæ nihil inter ſe commune habent, una alterius cauſſa eſſe nequit* p. 45. ſeq. aperte defendendum ſuſcipit. Invidiam hujus ſententiæ ut abſtergat, ab aliis quoque philoſophis orthodoxis eam admiſſam putat; quin ipſum *Carteſium* in partes vocare ſuſtinet, qui verba hæc: *nemo dat, quod non habet*, perpetuo adhibet, quæ cum hoc axiomate idem ſignificare videntur. Sed an hanc collationem, ut æquam γνήσιοι Carteſii filii ſint admiſſuri, iſtud μέγα λίαν ἄιτημα. Plus ad cauſſæ Wittichianæ mitigationem ſpectat, quod defenſor ejus nolit hæc verba ſenſu Spinoſæ ſumi, ſecundum quem *communionem inter ſe habere*, idem eſt ac *ejusdem naturæ eſſe*; quodque ipſe Cl. WITTICHIUS hanc notionem phraſeos reſpuiſſe videatur in Epiſt. ad *Drieſſ*. p. 6. inquiens: *Statuo, quod ſubſtantia diverſæ naturæ poteſt eſſe cauſſa ſubſtantia alterius naturæ*. Non tamen debuiſſet noſter Wittichii παραβάτης hic ſubſiſtere, ſed explanare diſertius, quidnam tandem illud ſit, quod cauſſam omnem cum cauſſato, etiam ante ejus productionem, neceſſario connectat; quod adeoque & Deus Creator ante jacta mundi fundamenta natura licet diverſiſſimus cum extenſione neceſſario *commune* habuerit; quod conſequenter tanquam principium *neceſſarium* productionis conſiderari debeat, nec tamen cum *liberrimo* productionis *ex nihilo* actu pugnet. Sane qui axioma illud Spinoſæ non tantum ad ordinem cauſſarum ſecundarum, ſed etiam ad vim productricem cauſſæ primæ *ex nihilo* adplicat, & ſimul a Philoſophorum orthodoxorum limitationibus in hoc articulo ſe diſcedere profitetur, nec tamen, in quo illam *communionem* conſiſtere putet, explanat, ille annon juſte in ſuſpicionem veniat, docuiſſe *materiem a Deo productam eſſe non poſſe, niſi extenſio* (quomodocunque) *attributum ejus* (adeoque & neceſſaria) *ſit*, alii dijudicent. Nec enim controverſiam, ſed tantum hiſtoriam ejus ſcribimus. Forte ipſe ex hac ſolli-

citudine nos aliquando expediet Cl. WITTICHIUS, quod ſerio, procul habito omni partium ſtudio, deſideramus.

ULTRAJECTO, quin & univerſæ Eccleſiæ Reformatæ ingens lumen extinctum eſt in celeberrimo Theologo, HERMANNO ALEXANDRO ROELL, qui Amſtelodami, quo comitaturus funus affinis properaverat, ipſe ſexageſimo & ſexto ætatis ſuæ anno IV. Idus Julias, poſt aliquot tantum dierum morbum pie & placide exſpiravit. Funus eo magis flebile omnibus bonis, ipſis quoque, qui ab hypotheſibus quibusdam, quæ ei in Belgio multas turbas ſuſcitaverunt, abhorrent, quia revera Atheiſmi heu nimis! in noſtris diebus lacertos moventis, malleus fuit. Latius de eo in ſequentibus dicendi redibit locus. Cœterum nunciatur Theologos Ultrajectinos contra Cl. DRIESSENIUM ipſos quoque ſtricturos eſſe calamum. Male cos habere dicitur, cum in ſuo ad DRIESSENIUM reſponſo *juſtos* eſſe ejus *ſcrupulos* declaraverint, quod DRIESSENIUS id ita ſit interpretatus, quaſi ipſas ejus conſequentias ex verbis WITTICHII deductas approbaſſent.

FRANEQUERÆ in contrarias partes itur. Vir Celeberrimus, & quod extra controverſiam eſt, Philoſophus acutisſimus, D. *Ruardus* ANDALA hoc anno publicare cœpit *apologiam pro vera & ſaniore philoſophia*, quam *Carteſianam* eſſe exiſtumat. Quatuor jam diſſertationes lectu dignisſimæ in hanc rem vulgatæ ſunt. Anſa nata eſt ex controverſiis, quas D. *Carolus Tuinman*, V.D. Miniſter Medioburgenſis ab aliquo tempore habuit cum quibusdam profanis in Zelandia virus quoque eheu! ſuum ſpargentibus Libertinis, contra quos quinquies diverſis tractatibus Belgice editis calamum ſtrinxit. In *prima* univerſam *Carteſii* Philoſophiam a B. de *Spinoza* ſophiſmatis, impiis dogmatis, ipſisſimoque Atheiſmo toto cœlo differre oſtenditur, idque hoc ordine, ut *primo* detegantur fraudes Spinoſæ, qui ab initio dogmata Carteſii propoſuit, ut ſibi tutam muniret viam propria cogitata vulgandi, ſi hac

arte

arte primos in Hollandia Viros amicos ſibi & defenſores conciliaret, dein demonſtrat dogmata Carteſii per omnia directe oppoſita & contraria eſſe dogmatis Spinoſæ. In *ſecunda* erudita inſtituitur inter Stoiciſmum & Spinoſiſmum collatio; ubi erudite antiquitatis ſcrinia excutiuntur, atque inde eruitur, quibus in partibus Spinoſa cum Stoicis antiquis conſentiat & diſſentiat, & ex diſputatis hanc demum concluſionem format, *Spinoſam* vivendi regulam & præcepta, licet quædam Stoice expreſſa, ex *Epicuræorum*, ſed dogmata ſæpe admodum depravata vel verba ex *Stoicorum* diſciplina deſumſiſſe. In *tertia* potisſimum in cauſſas inquiritur, ob quas philoſophia Carteſiana ſenſim negligentius tractari, minusque amari & excoli cœperit. Continet illa elegantem Carteſianiſmi a primis ejus incunabulis usque ad hæc tempora hiſtoriam, & cum ſingulari libertate novisſimi ejus corruptores *Clericus*, de *Volder*, *Wittichius*, *Newton*, *Leibnizius* & *Eruditi Lipſienſes* notantur. In *quarta* D. Herm. BOERHAVE Medicinæ Lugduni Profeſſoris diſſertatio *de comparando certo in phyſicis* juſto examini ſubjicitur, ſimulque Principia Phyſicæ Carteſianæ, quæ etiam ſunt principia ipſorum Mathematicorum, defenduntur & vindicantur, omniaque naturæ phænomena inde deduci debere & poſſe, quotquot ab ingenio humano explicari poſſunt, demonſtratur. Lectu diſſertationes hæ ſunt dignisſimæ, etiam ab iis, qui Philoſophiam Eclecticam præ Carteſiana amplectuntur. Quin porro Viro Celeberrimo integras animi in corpore vires apprecamur, quæ ad detegenda feliciter incruſtata miris variisque modis impietatis Spinoſiſticæ ſemina requiruntur. A *Wittichii* noſtri diſſertatione memorata quantopere abhorreat, in tertia potisſimum diſſertatione docet, ubi ex profeſſo diſputationem ejus percenſet & de illa hoc judicium fert: *Qui eam debito adhibito judicio legit & ſæpe relegit, deprehendet plures poſitiones periculoſas, abſurdas, abominabiles, præcedentibus modo citatis ſimiles in ea contineri, licet admodum hic & illic incru-*

*cru-*

*cruſtatas.* In *ultima* diſſertatione eidem judicio inſiſtitur. Refutatur ibi BOERHAVII hypotheſis, qua ſtatuit *rerum omnium principia nos latere*, & docetur, quam prope hæc abſit ab illo axiomate Spinoſiſtico, quod VOLDERO ſub finem vitæ a ſanioribus, quæ olim amplexus & publice profeſſus erat, principiis divortium facienti & poſt eum WITTICHIO tantopere placuit: *res nempe, quæ nihil commune habent, earum unam alterius cauſſam eſſe non poſſe.* Unde non eſſe mirum WITTICHIUM in eadem cum *Boerhavio*, quin ipſo *Spinoſa* oberrare lyra, quando ait Diſp. de Nat. Dei §. 14. „Porro ut aliquam „mentem infinitam *rerum omnium cauſſam æternam* eſſe „hac diſſertatione probamus, ita naturam cauſſæ intro„ſpicere mortalium non eſt.“ In eadem Academia Celeberrimus VITRINGA *Pater* totus in eo eſt, ut Commentarium locupletisſimum in Jeſaiam, cujus alter Tomus ab aliquo jam tempore ſub prælo ſudat, ad umbiculum perducat.

# FINIS PRIMÆ CLASSIS.

NB. *Indices poſt abſolutum duplicem tomum demum adjungere conſtitutum nobis eſt, adeoque catalogus eorum, quæ ad hunc tomum pertinent, in calce ſecundæ claſſis, ſive in faſciculo duodecimo, ἐαν ὁ Θεος θελησῃ, apparebit.*

BIBLIOTHECA
BREMENSIS.
TOM. I.

Brem.
c.
52.